Aliis locis contra adhibuit verbum *λόγος* et *αἶνος* (cf. Helena 513) et pro *λόγος λέγουσι* vel *φασί* (cf. frg. 477, frg. 305 Herc.), pro *αἶνος παλαιὸς αἶνος, ἦν γάρ τις αἶνος* (cf. frg. 344, Med. 248). Phoen. 438 exstat *πάλαι μὲν οὖν ὑμνηθέν*. Similia apud Aeschylum leguntur (Agam. 750, cf. Choeph. 313):

παλαίφατος δ' ἐν βροτοῖς γέρων λόγος
τέτυκται.

Item Sophocles (Trach. 1)[2]:

Λόγος μέν ἐστ' ἀρχαῖος ἀνθρώπων φανείς.

Pindarus notionem *γνώμης* ita circumscribit (Nem. 9,6):

ἔστι δέ τις λόγος ἀνθρώπων.

In comoediis Aristophanis saepe nobis verbum *γνωμοτυπικός* vel simile occurrit. In equitibus *Δῆμος* Phaeacem oratorem *γνωμοτυπικόν* vocat (1379), in nubibus chorus adhortatur *λόγον δίκαιον* et *λόγον ἄδικον* hoc modo (952):

νῦν δείξετον τῷ πισύνῳ τοῖς περιδεξίοισι
λόγοισι καὶ φροντίσι καὶ γνωμοτύποις μερίμναις.

In Thesmophoriazusis famulus de Agathone dicit (55):

γνωμοτυπεῖ κἀντονομάζει

et in Ranis chorus musas his verbis implorat (876 sq.):

Μοῦσαι, λεπτολόγους ξυνετὰς φρένας αἳ καθορᾶτε
ἀνδρῶν γνωμοτυπῶν.

---

[1]) Locos ex Euripide depromptos Hofingero debeo.
[2]) cf. Ant. 620, Nauck-Schneidewin.

Vocem *γνώμης* igitur tunc temporis omnino notum fuisse perspicuum est eodemque tempore rhetores iam ad gnomologiam adhortatos esse e Platone comperimus, qui in Phaedro (p. 267 C) haec dicit: *τὰ δὲ Πώλου πῶς φράσομεν αὖ μουσεῖα λόγων, ὃς διπλασιολογίαν καὶ γνωμολογίαν καὶ εἰκονολογίαν, ὀνομάτων τε Λικυμνείων ἃ ἐκείνῳ ἐδωρήσατο πρὸς ποίησιν εὐεπείας.* Ex quibus apparet iam Gorgiam, qui Polum artem rhetoricam docuerat, postulavisse, ut rhetores sententiis uterentur. Venimus ad Isocratem,[1]) qui in oratione *πρὸς Νικοκλέα* (2, 44) exponit omnes miserrimam quamque comoediam gnomologiae praeclarorum poetarum praeferre: *ἔτι δ' εἴ τις ἐκλέξειε τῶν προεχόντων ποιητῶν τὰς καλουμένας γνώμας, ἐφ' αἷς ἐκεῖνοι μάλιστ' ἐσπούδασαν, ὁμοίως ἂν καὶ πρὸς ταύτας διατεθεῖεν* [sc. *ὡς πρὸς τὴν Ἡσιόδου κτλ. ποίησιν*]. *ἥδιον γὰρ ἂν κωμῳδίας τῆς φαυλοτάτης ἢ τῶν οὕτω τεχνικῶς πεποιημένων ἀκούσειαν.* Imprimis respice illud *καλουμένας*, ex quo apparet, illa aetate notio *γνώμης*, de qua agimus, ab artium scriptoribus receptam fuisse, attamen nondum in volgarem sermonem transiisse; quare singularem vocis notionem addito illo participio significare orator studuit. Duos locos apud Aeschinem oratorem collegi. In oratione *κατὰ Τιμάρχου*, postquam attulit duas sententias Euripideas, hoc modo pergit (§ 153): *σκέψασθε δ' ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι τὰς γνώμας, ἃς ἀποφαίνεται ὁ ποιητής* et in oratione *κατὰ Κτησιφῶντος* Hesiodi sententiam prolaturus haec dicit (§ 135): *λέξω δὲ κἀγὼ τὰ ἔπη· διὰ τοῦτο γὰρ οἶμαι παῖδας ὄντας ἡμᾶς τὰς τῶν ποιητῶν γνώμας ἐκμανθάνειν, ἵν' ἄνδρες ὄντες αὐταῖς χρώμεθα* et pergit (§ 136): *ἐὰν δὲ περιελόντες τοῦ ποιητοῦ τὸ μέτρον τὰς γνώμας ἐξετάξετε κτλ.*

Apud Latinos *γνώμη* sententia vocabatur.[2]) Falso autem iudicat Quintilianus arbitratus ut vocem sententiae ita vocem *γνώμης* nomen ex eo accepisse, quod similis esset consiliis aut decretis (test. 10); nec Nicolaum laudo, qui existimat *γνώμην* nomen ex eo habere, quod efficiat, ut cognoscatur et credatur, quod dictum sit (test. 72). *γνώμη* enim primum eam vim animi significat, qua aliquid cognoscimus, deinde id ipsum, quod cognovimus vel sentimus, sententia autem est id, quod nos dicimus „Meinung", sive verbis expressum sive secus. His rebus enucleatis ad rem ipsam aggrediamur. Nam operam dare mihi proposui, ut perscrutatus testimonia antiquorum doceam, quid sit *γνώμη* apud eos. Ut hoc assequar, opus est in libros rhetoricos inquirere, in quibus de sententia ab Anaximene usque ad viros doctos aetatis mediae iterum ac saepius disputatur.

---

[1]) De [Xenoph.] de ven. XIII, 3; cf. Radermacher, Mus. Rhenan. 52 p. 13 sq.

[2]) cf. Quint. VIII, 5, 1 sq.

Initium faciamus ab Anaximene, cuius librum inter Theodectis et Aristotelis artem rhetoricam scriptam esse Wendland statuit.[1]) Atque hanc proponit doctrinam: Sententia profert (test. 1) summatim propriam auctoris opinionem de rebus in universum. Quam definitionem, ut rhetorum mos est, aptis sententiis illustrat. Aliam viam Aristoteles ingredi videtur, qui docet *γνώμην* in universum aliquid pronuntiare, quod in re et vita (i. e. *ἐν πράξεσι*) aut eligendum aut fugiendum est (test. 2). Sed nonnulla, quae affert, exempla, ut sententiam suam illustret, ab hac definitione dissentiunt. Nec enim pronuntiant, ut unum quidem locum afferam, sententiae velut *οὐκ ἔστιν ὅς τις πάντ' ἀνὴρ εὐδαιμονεῖ* et *οὐκ ἔστιν ἀνδρῶν ὅς τις ἔστ' ἐλεύθερος*[2]) quicquam de agendo, sed sunt in universum de rebus humanis. Nec tamen in hac discrepantia haerendum esse videtur. Stagirita enim, ut hoc modo *γνώμην* terminaret, eo permotus esse videtur, quod iis sententiis, quae pronuntiant aliquid de iis, *περὶ ὅσων αἱ πράξεις εἰσίν*, multum tribuendum esse censebat. Itaque neglectis iis dictis, quae philosopho quam homini res agenti utiliora sunt, hanc definitionem posuit. Altera eiusdem philosophi sententiae definitio legitur in soph. elench. p. 176 b 18 (test. 3); quo loco *γνώμας* vocari ea dicta tradit, quae veras opiniones proferant et de rebus in universum sint. Quae verba recte Hofingerus interpretatus esse videtur. Putat enim (p. 3) hoc modo vulgus non eruditum *γνώμην* circumscripsisse. Quocum scholiasta Hermogenis consentit, qui aperte dicit (test. 7 b) omnes scire *καθολικοὺς λόγους* sententias esse. Aliter autem Quintilianus iudicat. Nam eos vituperabat, qui sententias palam falsas pronuntiabant, quales frequenter ab iis dicebantur, qui haec *καθολικά* vocabant et quidquid pro causa videbatur quasi indubitatum pronuntiabant.[3])

Transeamus nunc ad Cornificii definitionem.[4]) Hanc Aristoteleam quadantenus esse quamquam facile concedes (test. 4) — nam verba 'quid esse oporteat' respondent verbis *'αἱρετὰ ἢ φευκτά ἐστι πρὸς τὸ πράττειν'* — tamen aliquid inter ambos interesse non negabo. Nam apud Aristotelem sententia aliquid de agendo pronuntiat, apud Cornificium etiam in universum ad res humanas pertinet, ut docent illa verba 'quid sit in vita', quae desunt apud Aristotelem. Oritur igitur quaestio, a quo Cornificius definitionem suam acceperit.

---

[1]) Paul Wendland, Anaximenes von Lampsakos p. 35 sq.

[2]) p. 1394 b 13, 1395 b 9.

[3]) Quint. VIII, 5, 7.

[4]) Definitionem enim, quam sub nomine Theophrasti Gregorius tradit (test. 2 a), non opus est pertractare, cum Spengel comm. ad art. rhet. Arist. II p. 276 recte monuerit Gregorium per errorem Theophrastum, non Aristotelem auctorem dixisse.

Nam eum ipsum eius auctorem esse nemo crediderit. Ad Graecos delegat nos praeceptum, quo postulat, ut oratores raro sententias interponant, ut rei actores, non vivendi praeceptores esse videantur (test. 40). Suspicor enim hoc praeceptum a prudenti ac moderato contra oratores Asianos esse datum, quos in sententiis adhibendis luxuriasse memoriae traditum est (test. 38). Itaque hunc locum e Graeco fonte manasse iudico, quod iudicium optime convenit iis, quae Marxius docuit Graecos auctores librorum ad Herennium Rhodios fuisse sanitatemque praeceptorum et temperantiam Rhodiorum redolere institutionem.[1]) Sed fortasse de huius definitionis auctore aliquid subtilius statui potest, ut infra videbimus.

Venimus ad Caecilium, cui Angermannus ea tribuit, quae nomine Alexandri leguntur Rh. Gr. VII[2] p. 765 W. (test. 5).[2]) Haec definitio artissimis vinculis cum Cornificio coniuncta est. Verba enim Caecilii 'περὶ τῶν πραγμάτων οὕτως ἐχόντων καὶ οὕτως ἔχειν ὀφειλόντων' Cornificii verbis 'quid sit aut quid esse oporteat in vita' respondent. Quapropter etiam cum Aristotele congruit, quem significat exemplum εἰς οἰωνὸς ἄριστος ex Aristotelis arte rhetorica depromptum (cf. test. 43).

Transeo ad Maximum Planudem. Apertum est eum consentire cum Cornificio vel eius auctore (test. 6). Verba autem, quae ipsam definitionem γνώμης sequuntur quibusque ea non male illustratur, apud alium auctorem non leguntur.

His tribus definitionibus Cornificii, Caecilii, Maximi Planudis sine dubio artissime inter se connexis alias addam, quas cum illis et Aristotele cohaerere statim intelleges. Nunc enim nobis agendum erit de Hermogenis, Aphthonii, Nicolai praeexercitationibus, quas Graeci προγυμνάσματα vocabant.[3]) In quibus magistri dum tirones artis rhetoricae primis loquendi elementis instruunt, verba, ut de fabula (μῦθος) et usu (χρεία), ita de sententia (γνώμη)[4]) facere debebant.

Atque Hermogenes: Sententia est, inquit (test. 7), oratio caput

---

[1]) Incerti auctoris de ratione dicendi ad C. Herennium libri IV p. 156 sq.

[2]) De Aristotele rhetorum auctore. Diss. inaug. Lipsiae 1904. p. 54 sq.

[3]) Neglego, quae Quintilianus VIII, 5, 9 sq. tractat; neque enim ad γνώμην, quae vocatur, pertinent. Nam sententia apud scriptores aetatis Quintiliani maiorem ambitum quam antea habet. Non solum est oratio, quae aliquid de rebus humanis dicit, sed etiam facetum dictum et ingeniosum, quod eos delectat, qui audiunt, et quasi mucro, qui animum titillat. Quae sententiae apud oratores tam crebae exhibentur, ut Quintilianus dicat eas esse oculos quosdam orationis. Quibus de rebus uberrime disputavit Norden, die antike Kunstprosa p. 280 sq.

[4]) cf. Rh. Gr. Sp. II p. 87 [p. 105 25 et p. 128 20]. Sed etiam antiqui, ut postea progymnasmatici, sententias comprobabant vel refutabant. cf. Theon Rh. Gr. Sp. II p. 66 31.

rerum spectans, quae aliquid de rebus in universum pronuntiat, dehortans vel hortans ad aliquam rem vel demonstrans quale sit. Ex quibus haec definitio fluxerit, facile cognoscitur. Affert enim rhetor (Rh. Gr. II p. 7 17 Sp. I p. 24 W) *γνώμην*:

χρὴ πενίην φεύγοντα καὶ ἐς μεγακήτεα πόντον.
ῥιπτεῖν καὶ πετρῶν Κύρνε κατ' ἠλιβάτων,

ut sententias illustret, quae sunt *προτρεπτικοί*. Eandem sententiam in Chrysippi Stoici libro *περὶ τοῦ προτρέπεσθαι* fuisse Plutarchus commemorat.[1]) Quae cum ita sint, verisimile esse mihi videtur Hermogenem non solum exemplum, quod saepius Stoicos adhibuisse inde apparet, quod etiam inter vitae agendae praecepta commemoratur,[2]) sed etiam definitionem e Stoicis desumpsisse. Hoc iam e verbis *προτρέπειν* et *ἀποτρέπειν* elucet, quae propriae sunt progymnasmaticorum definitionis et ad eam partem ethices Stoicorum pertinent, quam Graeci vocant *τῶν καθηκόντων προτροπαὶ καὶ ἀποτροπαί*.[3]) Itaque non dubito statuere verba Hermogenis e Stoicorum doctrina fluxisse. Eorum autem definitionis origo quin ex Aristotele repetenda sit, nemini dubium esse potest. Respondent enim verba Hermogenis *προτρέπειν* et *ἀποτρέπειν* Aristotelis verbis *αἱρετὰ ἢ φευκτά*. Deinde perspicuum est hanc definitionem coniunctam esse cum Cornificii, Caecilii, Maximi Planudis definitionibus, licet verba leviter discrepent: sunt enim verba Hermogenis: *'λόγος ἀποτρέπων τι ἢ προτρέπων ἐπί τι ἢ ὁποῖόν ἐστιν ἕκαστον δηλῶν'*, Cornificii: 'Sententia ostendit, quid sit aut quid esse oporteat in vita'. Quae cum ita sint, nescio an etiam Cornificii, Caecilii, Maximi Planudis definitiones ascribendae sint Stoicis.

Sequitur Aphthonius (test. 7 c); qui omisit, quod iam antiqui eius interpretes mirati sunt,[4]) nescio quo errore Hermogenis verba *'ὁποῖόν ἐστι ἕκαστον δηλῶν'*. Addit autem in divisione sua sententiarum *τὸ ἀποφαντικόν* (test. 21). Etiam Priscianum definitionem suam ex Hermogene hausisse facile cognoscitur (test. 7 a). Hic rhetor agmen eorum claudit, qui *γνώμην* ita circumscripserunt, ut bipertitam redderent definitionem, cum sententiam et 'quid sit' et 'quid esse oporteat' proferre dicerent; quod et apud Cornificium et leviter commutatum in omnibus Stoicorum definitionibus invenitur. Iam cum Aristotelis vestigia detegi posse in his Stoicorum definitionibus satis me exposuisse putem, intellegitur definitionem eius, quamvis commutatam, tamen per saecula servatam esse.[5])

---

[1]) Stoic. vet. frgm. III. J. de Arnim p. 39 frg. 167.
[2]) Arnim III p. 191 frg. 768.
[3]) Arnim III p. 3 frg. 1.
[4]) Rh. Gr. II W. p. 291 10–25.
[5]) Rufum et Nicolaum paucis absolvam. Ille enim dicit *γνώμην* pronuntiare.

Sed deerant adhuc nonnullae definitiones. Eae enim, quas pertractavimus, simpliciter res ipsas spectant, quas sententia docet, eae autem, de quibus disputare reliquum est, etiam, ut ita dicam, formam sententiae. Primus rhetor, qui hanc rationem secutus sententiam terminavit, est Quintilianus (test. 10). Dicit *γνώμην* esse vocem universalem, quae etiam citra complexum causae possit esse laudabilis, interim ad res relatam, interim ad personam. Vides duas sententiarum classes rhetorem discernere, quarum altera ad res, altera ad personam pertinet. Quintiliani definitionem etiam C. Julius Victor (test. 10 a) affert eundemque sequitur Sopater, qui explicat (test. 10 b) sententiam pronuntiare in universum, quales sint res aut personae aut ambae.

Sed ut tandem hanc quaestionem finiam, paucis verbis, quod discrimen sit inter sententiam et chriam, disseramus. Primus nobis auctor de chria Theon est. Explicationem autem huius rhetoris, quocum posteriores omnes fere consentiunt, non ab eo ipso inventam, sed ab aliis traditam esse Reichelius recte mihi statuisse videtur.[1]) Quid sit chria, Theon his verbis docet[2]): *χρεία ἐστὶ σύντομος ἀπόφασις ἢ πρᾶξις μετ' εὐστοχίας ἀναφερομένη εἴς τι ὡρισμένον πρόσωπον ἢ ἀναλογοῦν προσώπῳ*, cf. test. 15. Itaque Isidorus commemorat, sententiae si persona adiciatur, chriam fieri, si detrahatur, sententiam (test. 18, cf. test. 13, 14, 15, 16, 17). Nec vero omnes chrias sine persona prolatas sententias esse idem Theo profitetur, quippe cui chria etiam ad *πράξεις* pertineat, velut: *Πυθαγόρας ἐρωτηθεὶς πόσος ἂν εἴη τῶν ἀνθρώπων ὁ βίος, βραχύ τι φανεὶς ἀπεκρύψατο, μέτρον τοῦ βίου τὴν θέαν ποιούμενος.*[3]) Sententia autem semper *λόγος* est, quod in definitionibus quoque progymnasmaticorum dictum est (test. 13, 16, 17). Quocum cohaeret, quod Nicolaus affert test. 17. Chriam enim dicit *ἐκ περιστάσεως συγκεῖσθαι*, quod ita intellego, ut composita sit ex circumstantia quadam rerum, ex quibus *πρᾶξις* vel *λόγος* sequitur, quae chria continet. *γνώμη* autem est, ut dicit, *ἐν πλήθει λόγων*, h. e. dictum, quod enthymematice probans, quod dictum est, ad aliquid adhortatur. Deinde *γνῶμαι* sunt *καθόλου*, quod verbum in omnibus fere definitionibus invenitur, chriam autem dicit Theon etiam *ἐπὶ μέρους* pronuntiari (test. 13), ut in illo: *Λάκων ἐρωτηθεὶς, ποῦ τὰ τείχη τῆς Σπάρτης, ἐνταῦθα ἔφη τὸ*

---

quomodo res se habere opus sit (test. 8); Nicolaus exponit *γνώμην* adhortari ad id, quod utile sit ad vivendum (test. 9). Respondent igitur verba eorum definitioni Aristotelis vel alteri parti definitionis Stoicorum.

[1]) Reichel. p. 47 sq.

[2]) Rh. Gr. II p. 96 19. Sp.

[3]) Theon Rh. Gr. II p. 238. Sp.

δόρυ ἀνατείνας.[1]) Accedit, quod *γνῶμαι* semper praecepta dant ad beate vivendum et, ut Stoici dicunt (test. 17), homines impellunt, ut bonum faciant malumque vitent, chriam autem orator saepe facetias afferens iucunditatis causa usurpat (test. 13, 17). Addo, de quibus infra subtilius erit agendum (p. 29 5), *γνώμην* numquam ut chriam *κατ' ἐρώτησιν* dictam esse (test. 14).

Definitiones igitur iis illustrantur, quae de discrimine, quod est inter sententiam et chriam, rhetores docuerunt. Eodem modo iudicandum est de praeceptis, quae ad brevitatem sententiae pertinent. Sententia enim ut brevis sit, in definitione Cornificius postulat (test. 4) idemque expressum est apud Hermogenem et Aphthonium verbo *κεφαλαιώδης* (test. 7, 7 c), ad quod Doxopatres scholiasta adnotat *γνώμην* vocari *λόγον κεφαλαιώδη*, propterea quod orator breviter, quod dixit, exponit quasi caput rerum addens.[2]) Quare praecepta ad brevitatem sententiae pertinentia apud rhetores non raro inveniuntur. Atque iam Anaximenes monet, ut orator *συντόμως* dicat sententiam et enthymema (test. 65, 75). Idem et Aristoteles epilogum, quem dicit, breviter proferri volunt (test. 28, 29). Brevitatem sententiae spectant verba quoque Cornificii (test. 30): 'Habet brevis expositio, si rationis nullius indiget, magnam delectationem'. Imprimis autem Quintiliani aetate rhetores sententias breves magni aestimabant, inciderunt autem in tantam intemperantiam, ut a Seneca rhetore et Quintiliano, moderatis viris, vituperarentur.[3]) Sententia vero cur brevis esse debeat, dicit Demetrius. Exponit enim (test. 19) opus esse sapientem oratorem, ut in semine sit tota vis arboris, sic paucis verbis quam plurimum dicere; *γνώμην* enim si nimis extenta sit, *διδασκαλίαν* fieri vel *ῥητορείαν*. Haec mihi de brevitate sententiae dicenda erant.

Omnes definitiones auctorum antiquorum quoniam perscrutati sumus, restat, ut quaeramus, num, si nobis in libris antiquorum scriptorum dictum occurrit, e definitionibus illis concludi possit, utrum ea *γνώμη* sit necne; quod quadantenus fieri posse arbitror. Nam si exempla cum definitionibus rhetorum comparas, ea non ubique cum iis congruere videbis. Quomodo enim fit, ut Aristoteles postulet, ut orator usurpet *γνώμην* in narratione et confirmatione, afferat autem exempli causa haec: *καὶ οὐ μεταμέλει μοι καίπερ ἠδικημένῳ· τοῦτο μὲν γὰρ περίεστιν τὸ κέρδος, ἐμοὶ δὲ τὸ δίκαιον* (test. 52)? Quam sententiam esse nemo arbitretur. Offendo in iis quoque, quae Theon explicat Rh. Gr. II p. 91 17 Sp. (I p. 199 W.).

---

[1]) Nicol. Rh. Gr. III p. 460 20 Sp.
[2]) II p. 290 33 W.
[3]) cf. Norden I p. 283 sq.

Sententia enim, quam proponit (p. 91 18), non in universum pronuntiata est, sed eum spectat hominem, de quo loquitur poeta in versibus, qui antecedunt. Inspice etiam, quae infra de Nicolai exemplis dicta sunt et p. 30 de sententiis interrogativis. Inde iam apparet notionem *γνώμης* perspicuitate carere apud antiquos. Deinde e definitionibus, quod discrimen sit inter sententias et dicta generalia, non plane perspicitur, ita ut saepe diuque mecum reputaverim, utrum hoc an illud dictum *γνώμη* sit habenda necne. Omnes, qui perlegerint sententiarum indicem, vix puto mecum consensuros esse.

II.

In hoc capite proposui mihi in partitiones sententiarum inquirere, quas technologi proposuerunt; quem locum fere omnes rhetores, qui de sententia scripserunt, ita tractaverunt, ut priores praeter partitionem et definitionem etiam praecepta darent de sententiis in oratione utendis, posteriores, ut fere nihil disputarent, nisi quas in partes *γνώμη* dividi posset, quod scholiastae impigre perscrutabantur et interpretabantur.

Initium ergo faciamus a divisionibus, quae id, quod *γνώμη* docet, respiciunt. Docet Aphthonius sententias esse *προτρεπτικάς*, *ἀποτρεπτικάς*, *ἀποφαντικάς* (test. 21). Cui respondet Nicolai partitio, apud quem sunt *αἱ μὲν προστακτικαί, αἱ δὲ ἀπογορευτικαί, αἱ δὲ κατ᾽ ἐπίκρισιν* (test. 22); addidit autem idem Siricium, ut ipse profitetur, secutus, *εὐκτικάς*, ut *μή μοι γένοιτο λυπρὸς εὐδαίμων βίος*, quamquam sententia, ut definitiones et exempla rhetorum ostendunt, in universum de rebus humanis aliquid pronuntiare solet semper neglecta persona loquentis. Praeterea affert sententias, quarum aliae pronuntiant, *ὁποῖά ἐστι τὰ πράγματα*, aliae *ὁποῖα δεῖ εἶναι* (cf. p. 25 5 et test. 8) et sententias *ἀδόξους* et *ἐνδόξους*.

Alia Hermogenis (test. 23) est ratio divisionis sententiarum; discernit enim sententias veras et credibiles et superlativas; Hermogenem secuti sunt Aphthonius (test. 23 a) et Priscianus (test. 23 b). Hanc partitionem Hermogenis, a quo dissentit Nicolaus, qui neglectis sententiis superlativis veras et credibiles discernit (test. 23 c), Stoicis tribuere aequum est, cum etiam definitionem Hermogenis Stoicam esse demonstratum sit (p. 25).

Sequuntur eae divisiones, quae ad formam sententiae spectant. Cornificii divisionem ad formam pertinere tam perspicuum est, ut nihil addere opus sit. Discernit enim sententias duplices et eas, quae dupliciter cum ratione efferuntur (test. 24), quod eodem iure, quo ipsam definitionem eius, Stoicis tribuam. Quid sentiat orator, ex exemplis cognosces. Sententiae duplices eiusmodi esse

solent, ut priori parti, quae saepe ipsa *γνώμη* est, altera pars addita sit, quae id praeceptum vitae continet, quod orator pronuntiare vult. Itaque praeceptum, cum comparetur cum simili re, quae oratori minus gravis est, maiorem vim accipit. Priori vel alteri parti sententiae interdum ratio adicitur, ut plenum enthymema efficiatur. Sententiam duplicem ex Cornificio Quintilianus sumpsisse videtur (test. 24 a). Sed et hic et Nicolaus, qui *ἁπλᾶς* et *διπλᾶς*[1]) discernit (test. 24 b, cf. p. 32), sententias neglegunt, quae dupliciter cum ratione dicuntur. Huc pertinent etiam Doxopatris opinione eae sententiae, quae non ex duabus tantummodo partibus constant, sed ita sunt compositae, ut tres vel quattuor sententiolae coniunctae sint, quae unam sententiam efficiant; Doxopatres eas in numero sententiarum duplicium habet. Dicit enim: *διπλῆ δὲ ἡ δύο μὲν ἀποφάνσεις ἢ καὶ πλείους ἔχουσα* [sc. *ἡ γνώμη*].[2])

Simplicibus sententiis accedunt apud Hermogenem et Aphthonium (test. 25 et 25 a) sententiae, quas *συνεζευγμένας* illi vocant, Priscianus (test. 25 b) coniunctas dicit. Diversae hae sunt a simplicibus; ita enim sunt compositae, ut, quod priore parte orator docuit, hoc altera parte confirmet demonstrans, quomodo res se habitura sit, nisi fiet, quod docuit priore parte sententiae;[3]) *συνεζευγμένην* vocant rhetores illud Demosthenis (1, 20): *δεῖ δὲ χρημάτων καὶ ἄνευ τούτων οὐδέν ἐστι γενέσθαι τῶν δεόντων.*

Claudant hoc agmen ii, quos Quintilianus testatur (test. 26) decem genera fecisse, sed eo modo, quo fieri vel plura possint: per interrogationem, per comparationem, infitiationem, similitudinem, admirationem et cetera huius modi; per omnes enim figuras tractari posse.[4]) Patet hanc partitionem meram formam respicere. Sententia enim: Mors misera non est, aditus ad mortem est miser, maiorem vim accipit, ut affirmat Quintilianus, per formam interrogativam: Usque adeone mori miserum est? Acrius enim hoc esse quam per se: Mors misera non est. Simile exemplum ex Ovidii Medea promit. Etiam Cicero formam sententiae mutat eam vertens ad personam, quod exemplum illustrat: Nihil habet, Caesar, nec fortuna tua maius, quam ut possis; nec natura melius quam ut velis servare quam plurimos.[5])

---

[1]) Rh. Gr. II p. 298 sq. W.
[2]) Rh. Gr. II p. 298 W.
[3]) cf. Rh. Gr. II p. 298 sq. W.
[4]) Similia genera esse in narrationibus Theon docet Rh. Gr. II p. 87 13 sq. Sp.
[5]) De sententiis interrogativis pauca addam. Dissentit haec forma sententiae, ut a definitionibus et exemplis, quae pertractavimus, ita ab Hermogenis praecepto, quo dicit sententiam non ut chriam habere formam interrogativam (test. 14). Nihilo setius duo inveniuntur exempla, quae, quamquam *κατ' ἐρώτησιν* proferuntur, tamen *γνῶμαι* ab auctoribus vocantur. Primum apud Theonem exstat: *ἆρ' ἐστὶ πάντων ἀγρυπνία λαλίστατον;* (test. 60). Alterum

Ut hae divisiones sententiarum cum divisionibus, quas de figuris verborum technici statuerunt, conferri possunt, ita cum eis, quas de sententiarum figuris protulerunt, eam facile comparaveris, cuius primus nobis auctor Anaximenes est. Dicit enim nos multas sententias comparare posse ex propria natura rerum, ex superlatione, ex assimilatione (test. 27). Sed hae partes inter se non congruunt. *γνῶμαι* enim *ἐκ τῆς ἰδίας φύσεως* et *γνῶμαι ἐκ παρομοιώσεως* pronuntiant aliquid de natura rerum, illae simpliciter, hae ita, ut per similitudinem illustrentur (cf. test. 26). Spectat igitur aperte haec partitio formam sententiae. Adiungit autem rhetor huic divisioni sententias *ἐξ ὑπερβολῆς*, quae rem in maius tollunt. Eandem doctrinam etiam Hermogenes (test. 23) eiusque in multis assecla Priscianus (test. 23 sq.) profitentur.

Et hae quidem technologorum divisiones. Longe aliter hunc locum tractavit Aristoteles. Explicat enim sententias quattuor genera habere (test. 28). Alteras, quae inopinatum aliquid aut dubium pronuntient, usurpari cum epilogo, alteras, quae notum aliquid, sine epilogo.[1]) Hanc divisionem ad formam pertinere omnes concedunt. Sententias autem, quae epilogo careant, aut notas esse, cum sententiam pronuntient, quam omnes probent, aut simul intellegi, cum proferantur; sententias, quae habeant epilogum, aut esse partem enthymematis aut *ἐνθυμηματικάς*, in quibus sententia ipsa iam causam contineat, ut *γνώμη* (p. 1394 b 22):

ἀθάνατον ὀργὴν μὴ φύλασσε θνητὸς ὤν.

Sententias, quae sunt *ἐνθυμηματικαί*, etiam Numenius commemorat (test. 28 f.); qui cum Stagirita ita consentit, ut eius verba ex Aristotele fluxisse perspicuum sit. Sed ut ad Aristotelem redeam, sententia apud eum hanc partitionem habet:



exemplum ex Vergilio desumptum (quod Donatus (ed. Georgh p. 141) vocat generalem exclamationem, cf. test. 7 b) Priscianus proponit: 'Quid non mortalia pectora cogis, auri, sacra, fames?' (test. 25 b). Nos vero vestigia ingressi Hermogenis et antiquorum in altera huius quaestionis parte sententias interrogativas plane neglegemus.

[1]) Alio loco (test. 28) exponit hunc epilogum aut sententiam praecedere aut eam sequi.

Concedes mihi rationem huius divisionis sibi non constare. Nam sententiae, quae sunt *μέρος ἐνθυμήματος* et *ἐνθυμηματικαί*, inter se forma differunt, i. e. prout sententiae causa adiecta est; alterae causam in se continent, alterae alia adiecta sententia confirmantur. Eae autem, quae omnibus notae sunt, et eae, quae statim ab iis, qui audiunt, intelleguntur, inter se differunt, prout cognitae sunt. Id ipsum igitur, quod *γνώμη* praecipit, hae respiciunt. Vides has partes non eiusdem generis esse, sed ab Aristotele, quamquam inter se nullam rationem habent, tamen coniunctas esse.[1])

Iam pervenimus ad eum locum, qui est de differentia, quam doctores antiqui inter enthymema et sententiam intercedere statuerunt. Aristoteles dicit sententiam suum locum aut in conclusione enthymematis habere aut initio (test. 28 a). Eodem modo, sed, ut Spengel docuit, Stoicorum secutus doctrinam Neocles[2]) iudicat (test. 28 b). Apertum est Aristotelem hoc recte observavisse. Sed cum sententiae inveniantur, quae ratione minime possint carere, ut ab enthymemate nihil differant, *γνώμης* significationem apud eum angustiorem esse quam enthymematis concedes.[3]) Principium enim enthymematis solum et conclusionem sententias esse dicit, non vero enthymema ipsum. Etiam p. 1393 a 25 legitur (test. 28 c): *ἡ γνώμη μέρος ἐνθυμήματός ἐστιν*, et cum exempla enthymematis affert, nonnullas sententias prodit addens: *τοῦτο μὲν οὖν γνώμη· προστεθείσης δὲ τῆς αἰτίας καὶ τοῦ διὰ τί ἐνθύμημά ἐστι τὸ ἅπαν;* p. 1394 b 17 item legitur: *τῶν μετ' ἐπιλόγου αἱ μὲν ἐνθυμήματος μέρος εἰσίν*.[4]) Cum Aristotele fere consentit Anaximenes. Si orator notum aliquid dicat, causa non opus esse, sin inopinatum, breviter adici vult, ne fidem amittat orator neve garrulus esse videatur (test. 29). Discernit igitur sententias nudas et ratione explicatas. Ex Aristotele pendet Caecilius, qui sententias dividit in duas partes, prout *χωρὶς ἀποδείξεως* aut *μετὰ ἀποδείξεως* dicuntur (test. 28 f.).[5]) Item Nicolaus: sententias aut *ἄνευ αἰτίας* proferri aut *μετὰ αἰτίας* (test. 32), quamquam quod affert exemplum non aptum est. Cornificius explicat utiles esse sententias simplices, propterea quod habet brevis ex-

---

[1]) cf. Spengel II p. 279.

[2]) cf. Spengel II p. 278.

[3]) cf. Lunak p. 5.

[4]) Itaque miror Aristotelem alio loco discrevisse enthymema a sententiis per epilogum confirmatis (test. 36). Dictum enim: *χρὴ δὲ τὰς διαλλαγὰς κτλ.* dicit *γνώμην* esse, quae enthymematice pronuntiata haec sit: *εἰ γὰρ δεῖ, ὅταν ὠφελ. κτλ.*

[5]) Gregorius accepit, ut definitionem, ita etiam partitionem ab Aristotele, cf. p. 234 test. 28 e.

positio, si rationis nullius indigeat, magnam delectationem, sed etiam eas probandas esse, quae confirmentur subiectione rationis (test. 30); quibus in verbis velim animum ad terminum simplicis sententiae attendas, de quo mox plura disputanda mihi sunt.

Aristotelis sectatores sine dubio Quintilianus spectat, cum dicit alios sententiam partem enthymematis, alios initium aut clausulam epichirematis esse voluisse (test. 28 d); atque postquam concessit sine dubio id ita esse aliquando, non tamen semper, tum pronuntiat verius esse dicere sententiam aliquando simplicem esse, aliquando ratione adiecta proferri, nonnumquam duplicem. Vides rhetorem duas divisionis rationes miscere. Inter se oppositae sunt simplices et duplices sententiae; his vero tamquam tertium genus sententiam ratione probatam interposuit, cui nuda sententia respondet. Credideris igitur eum Aristotelis doctrinam cum doctrina illa (cf. supra p. 29) rhetorum coniunxisse. Sed alia res est. Etenim Cornificius quoque simplicem dicit sententiam eam, quae ratione careat, opponitque ei sententiam ratione auctam (test. 30). Huic ergo sententia simplex non est, ut ita dicam, uniiuga, cui bimembris respondeat, sed uniformis neque additamentis exculta. Quintilianus autem primum hanc doctrinam secutus in fine duplicem sententiam adiecit, quasi de uniiuga quam dixi sententia antea verba fecerit. Coniunxit igitur illam Cornificii doctrinam, quae re, non nominibus cum Aristotele consentit, cum vulgari quadam rhetorum ratione divisionis. Neque enim ea, quae Aristoteles de differentia enthymematis et sententiae praecepit, rhetoribus accepta fuisse inde apparet, quod hi aliam inter enthymema et sententiam rationem intercedere docuerunt: namque totum quoque enthymema *γνώμην* esse praecipiunt. Dicit enim Alexander Numenius, cuius praeceptum haud scio an Stoicis non aliter ac definitio eius, quam supra pertractavimus (p. 24, 25), tribuendum sit (test. 33), hoc: a sententia simplici, quippe quae careat epilogo, enthymema differt eo, quod sententia simpliciter aliquid pronuntiat, enthymema autem est quasi syllogismus; a sententia vero, quae habeat epilogum, eo differt, quod *γνώμη* genus est, enthymema species.[1]) Patet non clarius dici posse non solum partem enthymematis *γνώμην* esse, sed etiam totum enthymema.

Enthymemata, quae adhuc attuli, sunt, ut Quintiliani verbis utar, enthymemata ex consequentibus. Enthymemati autem ex consequentibus respondet enthymema ex repugnantibus, quod illi praeferendum sit, ut Aristoteles explicat (p. 1418 b 3 sq.), *ὅτι ὅσα ἔλεγχον ποιεῖ, μᾶλλον δῆλον ὅτι συλλελόγισται· παρ' ἄλληλα γὰρ μᾶλλον*

---

[1]) cf. Lunakium p. 5 sq.

τἀναντία γνωρίζεται. Inter hoc enthymema et γνώμην, quae ratio intercedat, Anaximenes docet. Dicit enim enthymema solum ex contrariis constare, sententiam autem et cum contrariis et simpliciter per se proferri posse (test. 35).

III.

Iam venimus ad tertiam partem huius quaestionis, qua explicandum est, quid rhetores de sententia in ipsis orationibus adhibenda docuerint. Primum, quotiens eas voluerint usurpari, exponam, deinde, quo loco vel quibus in orationis partibus γνώμας collocandas esse explicaverint, postremo, cur fuerint abdhibendae, cognoscas.

Atque quaerenti tibi, quotiens sententias usurpari rhetores docuerint, paucis verbis respondebo. Existimabant enim illi bonum oratorem debere sententias moderate adhibere. Itaque monebant Cornificius (test. 40), Quintilianus (test. 41), Longinus (test. 42), ne nimis crebro orator sententiis uteretur. Quae praecepta a rhetoribus data sunt, propterea quod aequales eorum non semper modum tenebant (cf. supra p. 24). Discedebant enim iam Asiani ab illa veterum scriptorum modestia (test. 38) et creberrime sententias adhibebant, et Quintilianus et Longinus frustra aequales adhortabantur, ut iis moderate uterentur.[1]) Sed etiam Ciceroni illae acutae crebraeque sententiae non molestae esse videbantur. In oratore enim de genere subtili disputans oratori attico suadet, ut sententias saepe usurpet (test. 39).

Rhetores autem non solum docent γνώμην moderate adhibendam esse, sed etiam, quem deceat sententias proferre; nec enim adulescentem omni vitae peritia carentem vel etiam ignobilem, sed aetate provectum γνώμας pronuntiare debere nec de omnibus rebus, sed de eis, quarum peritus sit (test. 43/44). Sic Aristoteles eodem loco Laconica dicta et aenigmatica utilia esse dicit; etiam tritas et communes sententias opus esse usurpare[2]) et quaedam proverbia, quae sententiae sint (cf. etiam test. 45).

Difficilior est altera, quae sequitur, quaestio, quam in tres dividam partes. Primum exponam, quibus generibus partibusque orationis rhetores gnomologiam utilem esse existiment, deinde, quo loco orationis γνώμη ponenda fuerit secundum praecepta rhetorum, postremo, quam utilitatem ei oratores in oratione tri-

---

[1]) De Plinii Minoris eloquentia Paul Morillot Gratianopoli 1888 p. 52; Norden I p. 408 1.

[2]) Quas postea Plinius exornatas adhibet et novo verborum apparatu illustratas (cf. Morillot p. 52).

buerint. Atque quo in genere orationum adhibendae sint, docet Plutarchus (test. 46): gnomologiam aptiorem esse orationibus publicis quam iudicialibus, propterea quod facile sententiis animi civium permoveantur. De sententia in genere demonstrativo utenda Anaximenes praecipit, de quo infra accuratius erit agendum. Exponit autem rhetor, quibus laudationum locis *γνώμας* usurpare (test. 67) opus sit, quo praecepto sententiam auditoribus illius aetatis in orationibus demonstrativis molestam non fuisse probat. Idem suadet, ne ii, qui se defendant ab accusatoribus sibi ab aliis comparatis, sententias contemnant (test. 47).

Haec pauca in universum de orationum genere. Nec plura fere dicenda sunt, de iis rhetorum praeceptis, quae ad singularum orationum partes singulas pertinent. Atque ex quinque partibus orationum, quas inde a Gorgiae et Trasymachi temporibus rhetores obloquente frustra Aristotele statuerunt — dico *προοίμιον, πρόθεσις, πίστις* (vel *πίστεις*), *τὰ πρὸς τοὺς ἀντιδίκους, ἐπίλογος* — ad tria tantummodo talia praecepta tradita habemus, ad prooemium, narrationem, confirmationem.

In prooemio quotiens usurpanda sit sententia, ostendunt duo praecepta inter se diversa. Cicero docet (test. 48) exordium sententiarum et gravitatis plurimum habere opus esse. Fortunatianus autem sententiam non semper, sed cum desideret causa, collocari vult (test. 49). Etiam ad narrationem sententias utiles esse Aristoteles docet (test. 52). Idem postulat Cornutus, qui existimat dulcem fore narrationem, si orator sententias adhiberet (test. 50); consentit igitur cum Theone, qui oratorem adhortatur, ut saepe sententias immisceat narrationi easque celet, quo suavem orationem reddat (test. 51). Denique ad confirmationem spectantia duo praecepta inveni, quibus rhetores sententiarum usum in hac parte commendabant. Primum habet Aristoteles (test. 52), alterum Longinus praebet (test. 53).

Sed rhetores non solum explicant, quibus in generibus partibusque orationis oratores debeant sententias usurpare, sed etiam quo loco prooemii, narrationis, confirmationis eas collocare oporteat. Semper enim rhetores, *γνώμη* ut certis locis poneretur, suadebant; quam ob rem Quintilianus, ne passim dicantur sententiae, postulat (test. 54), quo praecepto aequales suos vituperat, qui omnibus locis *γνώμας* adhibuisse videntur. Sed ut singula colligam: Prooemia *θέσεων* a sententia incipi solere e Theone comperimus (test. 55). Prorsus contrariam doctrinam rhetores amplexi esse videntur, qui *ὑποθέσεων* praecepta dederunt; hi enim sententiam in fine prooemii collocari maluerunt. Quare schol. Dem. exponit (test. 56) sententiam, quae locata sit in fine, grave facere prooemium; vitandam autem esse sententiam initio

exordii, ne hoc artis antiquioris esse videatur. Cuius scholiastae ad verba quadrat, quod Seneca tradit Hermagoram a prooemio in narrationem per sententiam transisse (test. 58) et quod Quintilianus rhetores aequales reprehendit, qui transitus eiusmodi supra modum adhiberent (test. 59). Narrationem autem a sententia ordientem rhetores non vituperant. Ita Theon oratores adhortatur, ut sententiam initio *διηγήσεως* ponant (test. 60). Etiam Donatus dicit moratam narrationem a sententia incipi solere, cum *γνώμην* hoc loco positam *προμύθιον* vocari tradit (test. 61).[1]) Contra vetat Theon oratorem sententiam, quamquam eam in fine fabulae ponere non molestum esse putat (test. 63), in exitu narrationis collocare, quod non aptum sit ad rostra, sed potius ad scaenam (test. 62).

Transeamus nunc ad confirmationem. Praecepta autem, quae huc pertinent, non docent, utrum in exitu an initio totius argumentationis, sed quibus in partibus *γνῶμαι* adhibendae sint. Fere omnia autem apud Anaximenem inveniuntur. Atque discernit rhetor duas partes confirmationis, quarum altera continet probationem, altera iustum, utile, honestum, iucundum, quae rhetores recentiores *κεφάλαια τελικά* vocabant (test. 64). Probationem ex tribus partibus constare, ex consuetudine rerum, ex exemplis et enthymematibus, ex aestimatione dicentis, quae inter se coniunctae probationem efficiant. Hanc probationem claudendam esse sententiis, sed etiam post probabilia et exempla eas collocare opus esse. Ceterum si fides testimoniis aut testibus tributa sit, epilogo non opus esse, nisi orator *γνώμην* proferre velit (test. 65); et pergit Anaximenes de probatione: sin autem *πίστις* non necessaria sit, oratori, quod demonstraverit, iusto, legitimo, utili, honesto aliis confirmandum esse. Iustum, cui exempla adicienda sint et quicquid sive iusto simile vel contrarium sit sive iustum existimetur, sententiis claudere oportere. Eodem modo etiam reliquas partes tractandas esse. Sententias igitur in his partibus adhibendas esse Anaximenes docet; num vero eae in fine illarum collocari possint, necne non dicit. Aliter de fine probationis, de quo haec apud eum leguntur: Cum omnia illa orator persecutus sit, opus esse eum per enthymemata et sententias aut figuras demonstrare, quam iniustum et inutile et turpe et iniucundum sit non facere, quod iubeat, et quam iustum et utile et honestum et iucundum sit sibi parere.

Venio ad ea praecepta, in quibus Anaximenes disserit, quo aptissimo loco laudationis et accusationis orator sententiam ponat.

[1]) Nimirum ab eo solo auctore, quem secutus est; neque enim vulgaris haec rhetorica vis vocis *προμύθιον* est. quam apparet in orationes translatam esse e fabulis, ubi *προμύθια* et *ἐπιμύθια* notissima.

Postulat autem, ut in fine earum partium, in quibus de puero et adulescente agitur, sententiam adhibeat itemque in fine totius laudationis (test. 67). In accusationis probatione adhibenda esse testimonia et ea, quae sequantur ex quaestionibus (test. 68). Verba si credantur, confirmanda esse sententiis et enthymematibus, si non credantur, probabili, exemplis, indiciis, signis, argumentis, postremo enthymematibus et sententiis.

Audivimus rhetores disserentes et quibus in partibus orationum et quibus singularum partium locis sententiae poni aut debeant aut apte possint. Sed iidem etiam generatim de sententiarum usu praecipiebant. Atque priores eas initio et clausulae cuiusvis orationum loci vel membri convenire censuerunt, seriores fere in clausulas relegare studuerunt (cf. test. 55, 60, 61); nam sententiam, cum in universum aliquid pronuntiaret, omnino utilem esse ad confirmanda vel refellenda ea, quae orator propria argumentatione explanasset. Atque Aristoteles adhortatur oratorem, ut sententiam adhibeat *ἐν σχετλιασμῷ καὶ δεινώσει* ita, ut a sententia incipiat aut eam post probationem ponat (test. 69). Demetrius (cf. Maxim. Planud., test. 70 a) exponit sententiam apte claudere, quod orator explicaverit, nec tamen *ἐπιφώνημα* revera dicendum esse, cum saepe etiam initio usurpetur (test. 70). Contra apud Quintilianum legimus sententias praecipue in clausulis poni [1]) (test. 71). Nicolaus dicit sententiam enthymematice probare, quod praedictum sit (test. 72). Atque sententiam ita usurpatam C. Julius Victor *ἐνθύμημα γνωμικόν* vocat,[2]) propterea quod aliquam rem confirmat (test. 73), quae verba quadantenus scholiasta Demosthenis profert, qui eaudem ob causam in laudationibus ab oratoribus *καθολικοὺς λόγους* usurpatos esse adnotat (test. 74).[3])

Denique quam utilitatem *γνώμῃ* in oratione rhetores tribuerint, breviter exponam. Suadet Anaximenes, ut orator in genere deliberativo indignationem civium sententiis vel enthymematibus deleniat, itemque monet praeoccupationem in genere iudiciali pertractans, ut orator summatim turbae resistat sententiis vel enthymematibus insertis, quibus demonstret tumultuantes aut

---

[1]) Hunc locum et alios e scriptis posteriorum desumptos affert Norden I p. 280/81.

[2]) Distinguenda autem inter se nec confundenda sunt enthymema et enthymema gnomicon: illa est *γνώμη*, quae confirmatur ab altera sententia, hoc confirmat verba quaelibet, quae antecedunt. Sed etiam enthymema gnomicon sequi potest altera sententia, ut totum sit enthymema.

[3]) cf. etiam Sext. Emp. adv. math. I, 271: *συχνὰς δίδωσιν ἡ ποιητικὴ ἀφορμὰς πρὸς εὐδαιμονίαν ἐκ τοῦ τὴν ὄντως κρατίστην καὶ ἐθοποιὸν φιλοσοφίαν ἀπὸ τῆς παρὰ τοῖς ποιηταῖς γνωμολογίας τὴν ἀρχὴν ἐρριζῶσθαι καὶ διὰ τοῦτο τοὺς φιλοσόφους, εἴποτε παραινετικῶς τι λέγοιεν, ταῖς ποιητικαῖς φωναῖς ὡσπερεὶ σφραγίζεσθαι τὸ ὑπ᾽ αὐτῶν λεγόμενον.*

iusto aut legibus aut utilitati rei publicae aut honesto repugnare (test. 75). Sed etiam alio modo *γνώμη* utilis erit oratori. Idem enim Anaximenes postulat, ut orator, si urbane dicere velit, *γνώμην* adhibeat (test. 65, 76)[1]) Quod rhetor recte observavit; nam *γνωμολόγος* ostendit se vitae peritum et litteris doctum et imbutum esse. Praeterea sententiis *μεγαλοπρέπεια* et *σεμνότης* augetur.[2]) Demetrius enim *γνώμην* inter ea nominat, quibus magnificentia orationis efficitur,[3]) et Rufus et Aristides dicunt sententias gravem reddere orationem (test. 77, 78; cf. test. 56), quod verum esse vel tragicorum exemplum probat. Maioris autem momenti ea sunt, quae Aristoteles explicat p. 1395 a 20 sq., cui *γνώμη* est aut *λογική* aut *ἠθική* aut *παθητική*. Atque tum *λογική* erit *γνώμη*, cum orator per eam aliquam rem confirmat, ex peritia vitae humanae aliquid colligens, quod rationi convenire negari non potest (test. 79). De sententiis, quae *ἦθος* in oratione efficiunt, Aristotelis verbis nihil habeo, quod adiciam (test. 80). Sin autem *γνώμη* non est *λογική* vel *ἠθική*, erit *παθητική*, quam orator profert cum animi perturbatione, cum conquestione et indignatione, ut permoveat animos eorum, qui audiunt (test. 81; cf. test. 69). Atque haec de sententiae utilitate rhetores tradiderunt.

---

[1]) Ab hoc discrepare videtur Aristoteles. Dicit enim rusticos solere sententias proferre (test. 43). Sed apparet verba eius maxime ea spectare, *περὶ ὅσων αἱ πράξεις εἰσίν* (cf. p. 23). Homines eruditos autem eas proferre decet, quae, quod philosophiae tribuitur, pronuntiant.

[2]) *γνώμη* igitur *ἀστειότητα* efficit et *σεμνότητα* et ob hanc rem ornat orationem (cf. p. 141); quod Cornificium, ut recte commemorat Lunakius p. 11), permovisse videtur, ut eam in figuris numeraret. Sed cum sententia figura non sit, eum Quintilianus optimo iure impugnat (test. 20). Visellium ut Cornificium sententiam in numero figurarum habuisse alio loco idem commemorat (test. 86).

[3]) Rh. Gr. III p. 286 25 Sp., IX p. 51, W. Radermacher p. 274.

Pars altera.

Quomodo oratores attici sententiis usi sint.

I.

Quoniam praecepta rhetorum explanavimus, accedamus ad libros oratorum ipsos, ut, quae ratio sit inter oratores et rhetores, statuamus. Atque primum quidem ad divisiones rhetorum me accingam initium repetens a partitione Hermogenis vel Nicolai (test. 21, 22), qui sententias aut *προτρεπτικάς* aut *ἀποτρεπτικάς* aut *ἀποφαντικάς* esse docuerunt. Huic partitioni exempla ex oratoribus non pauca subici possunt. Sententia adhortativa est: *δεῖ τοὺς περὶ πραγμάτων μεγάλων σκοποῦντας μηδένα συμφέροντα λογισμὸν παραλιπεῖν διὰ μηδεμίαν πρόφασιν* (Dem. 14, 33). Aliae sunt: And. 1,57 3,2 3,29 3,32 [4,24] Lys. 25,23 Is. frg. 133. Isocr. 5,113 5,118 6,34 6,50 6,90 6,91 6,101/2 6,111 7,41 8,8 8,35 8,60 8,120 15,128 15,132 15,290 ep. III, 4. Dem. 1,20 1,20 2,10 3,14 3,18 8,72 9,69 10,6 10,40 [13,16] [13,17] 14,33 15,20 15,21 16,10 18,95 18,97 18,269 18,292 18,321 19,71 19,296 20,126 20,135 20,154 20,161 20,162 21,34 21,177 21,220 22,16 23,101 23,122 23,127 23,134 [25,21] [25,33] [25,39] [26,18] [26,20] [42,22] 54,38 [58,29] [61,52] [61,52] [61,53] *Θ ΙΓ ΚΑ ΚΒ ΚΗ ΛΓ*3 *ΜΓ*2 *Ν*1 frg. 48 Aesch. 2,3 3,16 3,170 Lyc. 6 frg. 98 Hyp. *κ. Φιλ.* col. d 5 epith. 25 frg. 43, 235, 236, 237, 240, 240.

Multo rarius oratores Attici sententias, quae sunt *ἀποτρεπτικαί*, usurpaverunt, quarum exemplum praebet: *μὴ γὰρ ἔστω μηδεὶς ἐν δημοκρατίᾳ τηλικοῦτος, ὥστε συνειπὼν τὸν μὲν ὑβρίσθαι, τὸν δὲ μὴ δοῦναι δίκην ποιῆσαι* (21,207). Praeterea has sententias dehortativas inveni: Dem. 19,296 23,191 [26,20] 57,36.

γένος ἀποφαντικόν autem, cui omnes sententiae, quae nec adhortativae sunt nec dehortativae, ascribendae sunt, principatum ita obtinet, ut exempla hic proferre supersedeam, cum totum illorum agmen indicibus meis, quos opusculo meo subieci, collegerim.

Sententias *ἀδόξους* et *ἐνδόξους* et eas, quas vocant rhetores *ἀληθεῖς* vel *πιθανάς* vel *ὑπερβολικάς* (test. 22, 23—23 c), omnino neglegam, quia de hac re facile alium aliter iudicaturum esse

arbitror. Itaque statim ad eas partitiones aggredior, quae formam sententiae respiciunt. Atque partitio Cornificii, qui sententias aut dupliciter aut dupliciter cum ratione efferri posse explicat, probatur ex oratoribus atticis (test. 24—24 b). Exempli gratia hanc duplicem afferam: [*ὅτι*] *τῶν μὲν περὶ τὸ σῶμα νοσημάτων πολλαὶ θεραπεῖαι καὶ παντοδαπαὶ τοῖς ἰατροῖς εὕρηνται, ταῖς δὲ ψυχαῖς ταῖς ἀγνοούσαις καὶ γεμούσαις πονηρῶν ἐπιθυμιῶν οὐδέν ἐστιν ἄλλο φάρμακον πλὴν λόγος ὁ τολμῶν τοῖς ἁμαρτανομένοις ἐπιπλήττειν* (Isocr. 8,39). Quarum duplicium sententiarum magnum numerum collegi: Ant. 2 *β* 2 5,3 5,5 And. 2,6 [4,1] Lys. 3,4 31,11 frg. 280 Is. frg. 133 Isocr. 4,160 5,118 5,139 6,39 6,49 6,102 7,5 7,41 8,8 8,120 10,5 13,14/15 15,255 15,311 ep. 8,5 ep. 9,6 Dem. 3,14 3,18 8,51 9,69 10,27 [11,15] [13,17] 14,8 15,10 16,10 16,24 18,97 18,192 18,192 18,205 18,269 18,281 18,321 19,71 19,208 19,340 20,56 20,56 20,108 20,162 21,70 21,118 [25,7] [25,21] [25,24] [25,32] [26,3] [26,10] [26,18] [26,26] [41,23] 57,34 [58,61] [60,14] [60,17] [61,7] [61,35] [61,52] *ΚΒ ΚΕ ΚΗ ΛΘ* 2 *Ν* 1 ep. II,15 frg. 34, 36, 42 Aesch. 1,24 3,170 Lyc. frg. 97 Hyp. frg. 138, 235, 237, 240 Din. 2,3.

Rarius sententiae inveniuntur, quae dupliciter cum ratione dictae sunt. Propono Dem. 19,313: *τῶν μὲν ἄλλων ἀγαθῶν οὐ μέτεστι τοῖς τεθνεῶσιν, οἱ δ' ἐπὶ τοῖς καλῶς πραχθεῖσιν ἔπαινοι τῶν οὕτω τετελευτηκότων ἴδιον κτῆμ' εἰσίν· οὐδὲ γὰρ ὁ φθόνος αὐτοῖς ἔτι τηνικαῦτ' ἐναντιοῦται.* Praeterea conquisivi: Ant. 1 *δ* 9 5,91 Isocr. 6,50 8,8 ep. 3,4 Dem. 2,9/10 21,34 [25,21/22] 37,56 57,36 [61,39] [61,42] *ΜΕ* 3 Aesch. 1,129 Lyc. 60. Hoc loco etiam eas sententias enumerem, quae ex tribus constant vel pluribus sententiolis (cf. p. 29). Numerus earum perexiguus est: Lys. 24,16 Lyc. frg. 61.

Postremo opus est quaerere, num etiam sententiae *συνεζευγμέναι* in libris oratorum inveniantur (test. 25—25 b). Sed perspicuum est partitionem tam subtiliter excogitatam non nisi paucis exemplis illustrari ex scriptis oratorum. Exempli gratia illud Demosthenis (1,20) repeto: *δεῖ δὲ χρημάτων καὶ ἄνευ τούτων οὐδέν ἐστι γενέσθαι τῶν δεόντων.* Praeterea collegi: Dem. 1,20 [7,26] 19,215 20,140.

Iam quaerendum est, num etiam Anaximenes cum oratoribus conspiret. Sententias *ἐκ τῆς ἰδίας φύσεως* prolatas esse in eorum orationibus in propatulo est, quia omnes sententiae, quas simpliciter orator suum iudicium suamque peritiam secutus pronuntiat, ex propria dicentis natura prolatae sunt (test. 27). Quam ob rem exempla afferre non opus esse arbitror. Sententias *ὑπερβολικάς*, ut iam supra dixi, hac in quaestione omittere constitui.

Nec vero praetermittam silentio sententiam, quam apud Lysiam deprehendi, quae fortasse *γνώμη ἐξ ὑπερβολῆς* dici potest: *ἡγοῦμαι τοῖς ἀδίκως διαβεβλημένοις τούτους εἶναι μεγίστων ἀγαθῶν αἰτίους, οἵτινες ἂν αὐτοὺς ἀναγκάζωσιν εἰς ἔλεγχον τῶν αὐτοῖς βεβιωμένων καταστῆναι* (16,1). Sententiis *ἐκ παρομοιώσεως*, quae apud antiquos non inusitatae erant,[1]) etiam oratores Attici interdum usi sunt: velut *γνωμικὸν ὁμοίωμα* hoc est: *ὥσπερ οἰκίας οἶμαι καὶ πλοίου καὶ τῶν ἄλλων τῶν τοιούτων τὰ κάτωθεν ἰσχυρότατ' εἶναι δεῖ, οὕτω καὶ τῶν πράξεων τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς ὑποθέσεις ἀληθεῖς καὶ δικαίας* (Dem. 2,10). Reliquae, quas conquisivi, sunt: Isocr. 7,14 Dem. 1,11 18,247 [25,46] [26,3] ep. III, 44 III, 45 frg. 37, 41, 46, 47 Lyi. 60 Hyp. 4, col. d 5 frg. 235.

Sententias enthymematice formatas apud oratores plurimas exstare consentaneum est. Exempli causa eam afferam, quam adhibet Demosthenes 3,19: *ἀλλ' οἶμαι μέγα τοῖς τοιούτοις ὑπάρχει λόγοις ἡ παρ' ἑκάστου βούλησις, διόπερ ῥᾷστον ἁπάντων ἐστὶν αὐτὸν ἐξαπατῆσαι· ὃ γὰρ βούλεται, τοῦθ' ἕκαστος καὶ οἴεται, τὰ δὲ πράγματα πολλάκις οὐχ οὕτω πέφυκεν.* Reliquae sunt: Ant. 1 δ 9 5,5 5,72 5,91 And. 4,1 Lys. 2,77 16,19 24,16/18 32,21 Isocr. 6,49/50 6,50 6,59 6,101/2 7,14 8,8 8,35 8,60 8,120 12,138 15,132 15,217 ep. 3,4 4,9 9,6 Dem. 1,11 2,9/10 2,12 3,19 3,32 8,72, 13,25 15,21 18,47 18,252 18,277 18,280/1 18,321 19,313 20,49 20,135 21,34 25,21/2 25,24 25,33 [26,18] 37,56 [61,39] [61,42] *IH ΜΓ*2 *ΜΕ*3 ep. I, 12 III, 45 frg. 12 34 37 Lyc. 60 128 Aesch. 129.

Rarius adhibuerunt, quamquam Aristoteles tribuit ei maiorem effectum (cf. p. 33), enthymema ex repugnantibus, ut: *δεῖ δὲ χρημάτων καὶ ἄνευ τούτων οὐδέν ἐστι γενέσθαι τῶν δεόντων* (Dem. 1,20 cf. p. 39). Paucas inveni: Dem. 18,192 [7,26] 19,215 20,140.

Sententia, quam rhetores *ἐνθυμηματικήν* (test. 28) nominant, haec est: *οἱ πρεσβύτεροι τῷ μὲν εὐφρονεῖν ἀκμάζουσιν, ἡ δὲ τόλμα ἤδη αὐτοὺς ἄρχεται ἐπιλείπειν διὰ τὴν ἐμπειρίαν τῶν πραγμάτων* (Aesch. 1,24). Hunc parvum numerum collegi: And. [4,24] Lys. 31,11.

Omnes igitur rhetorum partitiones in libris oratorum inveniuntur.

II.

Quoniam praecepta rhetorum ad divisionem sententiarum pertinentia ex orationibus Atticorum, quae exstant, illustravimus, restat, ut quaeramus, num etiam ea, quae de sententiis in oratione adhibendis docuerunt, ita sint a rhetoribus constituta, ut cum

---

[1]) cf. Gnomica homoeomata, Elter Programm der Universität Bonn 1904.

oratorum usu consentiant. Itaque primum eruamus, quotiens oratores sententiis usi sint. Incipio ab Antiphonte. Oratio *κατηγορία φαρμακείας* (1) sententiis caret. In tetralogiis (2—4) 6 sententias inveni, sed Antiphontem auctorem esse alii viri docti plane denegant,[1]) alii dubitant de hac re.[2]) Oratio *περὶ τοῦ Ἡρῴδου φόνου* (5) habet 10, oratio *περὶ τοῦ χορεύτου* (6) 3 sententias. Praeterea ex oratione *ὑπὲρ Μυρρίνου* una sententia nobis servata est.

Diversa facies eloquentiae Andocideae. Ille enim ut orationes contemnebat, quae nimis politae erant ex praeceptis artis rhetoricae, ita raro adhibebat sententias. Duas continet oratio *περὶ τῶν μυστηρίων* (1), unam oratio *περὶ τῆς ἑαυτοῦ καθόδου* (2), tres oratio *περὶ τῆς πρὸς Λακεδαιμονίους εἰρήνης* (3), sex oratio *κατ' Ἀλκιβιάδου* (4), quae non scripta est ab Andocide.

In orationibus Lysiae sententias inesse iam antiqui observaverunt (test. 57). Sed tamen apud eum raras invenies sententias. 26 enim distribuuntur in 34 orationes (quo in numero etiam spurias habui), quarum 21 ne unam quidem continent (orat. 1, 4, 5, 8, 9, 11, 12, 13, 15, 17, 18, 21—23, 26—30, 33, 34). Ex reliquis singulas vel binas sententias collegi, sed fere numquam plus tribus. Oratio autem *κατ' Ἀνδοκίδου ἀσεβείας* (6), in qua exstant 4 sententiae, a Lysia non scripta est.[3]) His adiungendae sunt nonnullae sententiae, quas antiqui ex orationibus, quas aetas non tulit, excerpserunt, cf. p. 54.

Fere nullas sententias inseruit orationibus Isaeus. Singulae exstant in orationibus *περὶ τοῦ Πύρρου κλήρου* (III) et *περὶ τοῦ Ἀριστάρχου κλήρου* (X). Praeterea Stobaeus 3 nobis tradidit, e quibus una (frg. 131), cum fere cum dicto Lysiano 21,19 consentiat, haud scio an non Isaeo committi possit. Isaeus ergo, acutissimus quidem causidicus, sed spernens illud *ἦθος* et *πάθος*, quod sententiis augetur (cf. test. 80,81), *γνωμολογίαν* parvi aestimavit. Ut summam faciam, oratores attici priores non crebris usi sunt sententiis. Primum locum Antiphon obtinet, sequuntur Lysias et Andocides. Fere plane neglexit sententias Isaeus.

Iam venimus ad Isocratem. Cuius in antiquioribus orationibus, quae iudicialis generis sunt, non crebrae exstant sententiae. Orationes *πρὸς Καλλίμαχον* (18) et *περὶ τοῦ ζεύγους* (16) habent singulas, orationes *κατὰ Λοχίτου* (20) et *πρὸς Εὐθύνου* (21) binas. In reliquis eiusdem fere aetatis orationibus (orat. 17. 19, 13) sententiae non exhibentur. Maior est numerus sententiarum in orationibus, quae sequuntur. Busiris (11) quidem *γνώμας* non continet, unam Plataicus

[1]) Dittenberger, Hermes 31 (1896) p. 271 sq., 32 (1897) p. 1 sq.

[2]) Lipsius, Berichte über die Verhandlungen der Königl. Sächs. Ges. d. Wiss. zu Leipzig, phil.-hist. Klasse V, 1905.

[3]) cf. Blaß I (1897) p. 568.

habet (14); 4 autem praebent iam Helena (10) et Panegyricus (4), 2 Euagoras (9), 13[1]) Archidamus (6) et Antidosis (15), 5[2]) Philippus (5) et Panathenaicus (12). Nolim vero obliviscaris Panegyricum et Panathenaicum fere duplicem, Antidosim paene triplicem ambitum eius orationis habere, quacum in numero sententiarum congruunt. Etiam in epistulis eius nonnullae exstant (cf. p. 55). Apparet ergo apud Isocratem numerum sententiarum aliquanto maiorem esse quam apud priores,[3]) sed concedes mihi haec lumina orationis non tam crebra esse apud eum, ut artis eius propria esse dixeris.

At Demosthenicae eloquentiae virtus quaedam pecularis in gnomologia posita est. Quod quo facilius cognoscas, tabulas confeci, ex quibus statim apparebit non solum, quantus sententiarum numerus uniuscuiusque orationis sit, sed etiam, quae illarum in diversis dicendi generibus frequentia deprehendatur et qualis progressus vel incrementa ars Demosthenica in adhibendis sententiis ceperit. Parvus ille quidem in prioribus orationibus numerus crescit magis magisque, quo perfectior grandiorque eloquentia eius fit. Ita Olynthiacae orationes brevi ambitu refertae tamen sententiis. Orationes autem eiusdem generis in numero sententiarum valde differunt. Quam discrepantiam ut intellegeretis, singulas orationes ipsas interpretari nos opus erat; quod omittere malim, cum a rationibus huius opusculi dissentiat.

Pauca dicam de orationibus, quas non a Demosthene scriptas esse viri docti contendunt. Raro in iis sententiae exhibentur excepta oratione *κατ' Ἀριστογείτονος*, quae 12 sententias continet. In Erotico [61] 6, in oratione *κατ' Ἀριστογείτονος* B [26] 7 inveni, 4 in oratione *κατὰ Θεοκρίνου* [58]. Praeterea habent 15 orationes 1 vel 2 vel 3 sententias.

Reliquum est, ut scripta pertractem rhetorum, qui vixerunt aetate Demosthenica ultimi eloquentiae Atheniensium auctores (cf. tabulam, p. 44). In Aeschinis oratione *κατὰ Τιμάρχου* (1), quae habet magnum *ἦθος* et multa est in honestis probisque verbis, 10 sententias collegi, 9 praebet oratio *περὶ τῆς παραπρεσβείας* (2), 11 oratio *κατὰ Κτησιφῶντος* (3). *γνωμολόγος* Lycurgus quoque fuisse videtur; nam oratio *κατὰ Λεωκράτους*, quae una ex scriptis eius nobis tradita est, habet 10 sententias, et ex orationibus, quas non possidemus, 6 antiquis auctoribus debemus. Etiam ingeniosus Hyperides sententias non reiecit. In 6 orationibus 8 sententias inveni et inter fragmenta eius mihi 13 occurrebant. Dinarchi

---

[1]) *γνώμην* 15, 255 Isocrates mutuatus est ex 3, 7; 15, 18 fere consentit cum Lys. 19, 6.

[2]) 12, 138 desumptum est ex 7, 14.

[3]) Sententias, quae nomine Isocratis exhibentur inter *ἀποφθέγματα*, neglexi, cum eas ab Isocrate dictas esse viri docti negent, cf. B.-S. p. 227.

	orat. iudiciales	%
27	*κατ' Ἀφόβου α*	—
28	*κατ' Ἀφόβου β*	—
29	*πρὸς Ἄφοβον*	—
30	*πρὸς Ὀνήτορα α*	—
31	*πρὸς Ὀνήτορα β*	25
54	*κατὰ Κόνωνος*	7
36	*ὑπὲρ Φορμίωνος*	17,6
45	*κατὰ Στεφάνου α*	4
39	*πρὸς Βοίωτον*	10
37	*πρὸς Πανταίνετον*	11,7
38	*πρὸς Ναυσίμαχον*	12,5
57	*πρὸς Εὐβουλίδην*	20
32	*πρὸς Ζηνόθεμιν*	—

	orat. deliberativae	%
22	*κατ' Ἀνδροτίονος*	18
20	*πρὸς Λεπτίνην*	25,5
14	*περὶ τῶν συμμορίων*	36
24	*κατὰ Τιμοκράτους*	4,9
16	*ὑπὲρ Μεγαλοπολιτῶν*	37,5
23	*κατ' Ἀριστοκράτους*	16,9
4	*κατὰ Φιλίππου α*	46
15	*ὑπὲρ τῆς Ῥοδίων ἐλευθερίας*	77,7
1	*Ὀλυνθιακός α*	62,5
2	*Ὀλυνθιακός β*	112,5
3	*Ὀλυνθιακός γ*	77,7
	προοίμια Δημηγορικά	57,5
21	*κατὰ Μειδίου*	32,6
5	*περὶ τῆς εἰρήνης*	—
6	*κατὰ Φιλίππου β*	50
19	*περὶ τῆς παραπρεσβείας*	17
8	*περὶ τῶν ἐν Χερρονήσῳ*	29
9	*κατὰ Φιλίππου γ*	35
10	*κατὰ Φιλίππου δ*	38,8
18	*περὶ τοῦ στεφάνου*	21
13	*περὶ συντάξεως*	33

		%
2	*Ὀλυνθιακός β*	112,5
	ἐπιστολή α	100
15	*ὑπὲρ τῶν Ῥοδίων*	77,7
3	*Ὀλυνθιακός α*	77,7
	προοίμια Δημηγορικα	57,5
6	*κατὰ Φιλίππου β*	50
4	*κατὰ Φιλίππου α*	46
10	*κατὰ Φιλίππου δ*	38,8
16	*ὑπὲρ Μεγαλοπολιτῶν*	37,5
14	*περὶ τῶν συμμορίων*	36
9	*κατὰ Φιλίππου γ*	35
	ἐπιστολή β	33
13	*περὶ συντάξεως*	33
21	*κατὰ Μειδίου*	32,6
8	*περὶ τῶν ἐν Χερρονήσῳ*	29
20	*πρὸς Λεπτίνην*	25,5
31	*πρὸς Ὀνήτορα β*	25
18	*περὶ τοῦ στεφάνου*	21
57	*πρὸς Εὐβουλίδην*	20
	ἐπιστολή γ	20
22	*κατ' Ἀνδροτίονος*	18
36	*ὑπὲρ Φορμίωνος*	17,6
19	*περὶ παραπρεσβείας*	17
23	*κατ' Ἀριστοκράτους*	16,9
38	*πρὸς Ναυσίμαχον*	12,5
37	*πρὸς Παναίνετον*	11,7
39	*πρὸς Βοίωτον*	10
54	*κατὰ Κόνωνος*	7
24	*κατὰ Τιμοκράτους*	4,9
45	*κατὰ Στεφάνου α*	4
27	*κατ' Ἀφόβου α*	—
28	*κατ' Ἀφόβου β*	—
29	*πρὸς Ἄφοβον*	—
30	*πρὸς Ὀνήτορα α*	—
32	*πρὸς Ζηνόθεμιν*	—

	Demosthenes	γνῶμαι	Teubn. pag.	%
27	κατ᾽ Ἀφόβου α	—	20	—
28	κατ᾽ Ἀφόβου β	—	7	—
29	πρὸς Ἄφοβον	—	17	—
30	πρὸς Ὀνήτορα α	—	10	—
31	πρὸς Ὀνήτορα β	1	4	25
54	κατὰ Κόνωνος	1	14	7
22	κατ᾽ Ἀνδροτίονος	4	22	18
20	πρὸς Λεπτίνην	12	47	25,5
14	περὶ τῶν συμμορίων	4	11	36
24	κατὰ Τιμοκράτους	3	61	4,9
16	ὑπὲρ Μεγαλοπολιτῶν	3	8	37,5
23	κατ᾽ Ἀριστοκράτους	11	65	16,9
4	κατὰ Φιλίππου α	6	13	46
15	ὑπὲρ τῶν Ῥοδίων ἐλ.	7	9	77,7
36	ὑπὲρ Φορμίωνος	3	17	17,6
1	Ὀλυνθιακὸς α	5	8	62,5
2	Ὀλυνθιακὸς β	9	8	112,5
3	Ὀλυνθιακὸς γ	7	9	77,7
45	κατὰ Στεφάνου α	1	25	4
39	πρὸς Βοίωτον π. τ. ὀνομ.	1	10	10
	προοίμια Δημηγορικά	23	40	57,5
21	κατὰ Μειδίου	15	64	32,6
5	περὶ τῆς εἰρήνης	—	6	—
37	πρὸς Πανταίνετον	2	17	11,7
38	πρὸς Ναυσίμαχον	1	8	12,5
57	πρὸς Εὐβουλίδην	4	20	20
6	κατὰ Φιλίππου β	4	8	50
19	περὶ τῆς παραπρεσβείας	17	98	17
8	περὶ τ. ἐν Χερρονήσῳ	5	17	29
9	κατὰ Φιλίππου γ	6	17	35
10	κατὰ Φιλίππου δ	7	18	38,8
32	πρὸς Ζηνόθεμιν	—	8	—
18	περὶ τοῦ στεφάνου	20	94	21
	ἐπιστολή β	2	6	33
	ἐπιστολή γ	2	10	20
	ἐπιστολή α	4	4	100
13	περὶ συντάξεως	3	9	33

	Aeschines	γνῶμαι	Teubn. pag.	%
2	περὶ παραπρεσβείας	9	73	12
1	κατὰ Τιμάρχου	10	96	10,4
3	κατὰ Κτησιφῶντος	11	113	9,7
	Lycurgus			
	κατὰ Λεωκράτους	10	50	20
	Hyperides			
2	ὑπὲρ Λυκόφρονος	2	11	18
3	ὑπὲρ Εὐξενίππου	2	15	13
6	ἐπιτάφιος	2	17	11,7
4	κατὰ Φιλιππίδου	1	9	11
5	κατὰ Ἀθηνογένους	1	17	5,8
1	κατὰ Δημοσθένους			—
	Dinarchus			
3	κατὰ Φιλοκλέους	1	9	11
2	κατ᾽ Ἀριστογείτονος	1	10	9
1	κατὰ Δημοσθένους	1	50	2

orationes, ut arte carent et negligenter sunt compositae, ita sententiis non sunt ornatae. Singulas deprehendi in unaquaque oratione, unam insuper inter fragmenta orationis *κατὰ Μενεσαίχμου*.

Inter fragmenta reliquorum oratorum atticorum sententias non inveni; una nobis Pytheae nomine tradita est. Nec vero Demadem neglegam. Nam facetissimus ille vir orationes salibus, dictis, sententiis condivit. Habemus nomine eius *Δημάδεια*, in quibus multae et pulchrae sententiae exstant. Sed cum nesciamus, num haec dicta iure Demadi tribui possint, ea omittenda esse existimavi.

Complectamur igitur, quod enucleavimus. Priores oratores excepto Antiphonte sententias raro usurpant. Maiorem numerum in orationibus Isocrates adspersit. Principatum obtinet Demosthenes, sine dubio *γνωμολογώτατος*.[1]) Aequales eius, Hyperides, maxime autem Aeschines, Lycurgus, etiamsi eum non antecedunt, tamen nonnunquam sententias in orationibus posuerunt. Neglexerunt autem gnomologiam Dinarchus et Isaeus. Ut vero revertamur ad praecepta Cornificii, Quintiliani, Longini (test. 40, 41, 42), concedent mihi omnes rhetores oratorum usum recte observavisse, cum hos sententiis moderate usos esse viderimus.

Haec in universum de frequentia sententiarum apud oratores obvia; perscrutemur nunc genera orationum. Primum quaeritur, num Plutarchus recte observaverit usum oratorum, cum dixit (test. 46) maiorem numerum sententiarum in orationibus contionalibus quam in iudicialibus adhibendum esse. Priores oratores sententiis omnino raro usi sunt, ut ex iis nihil certum concludi possit. Melius de hac re docet iam Isocrates. Etenim in orationibus iudicialibus raro inseruit sententias (cf. p. 55 or. 16—21), in genere deliberativo autem gnomologiam saepius usurpavit. Idem sequitur e Demosthenis orationibus. De orationibus Olynthiacis iam monui; Rhodiaca numero sententiarum aequiperat; nec multum ab iis Philippicae distant. Etiam eae orationes, quae publicae propter causam rebus publicis non ita alienam Leptinea (20), Midiana (21), Androtionea (22), Aristocratea (23), Timocratea (24) dici possunt, multas habent sententias; quas aperte in genere iudiciali neglexit, ut in orationibus *κατὰ Κόνωνος* (54), *πρὸς Ζηνόθεμιν* (32) aliisque. Hyperides in orationibus iudicialibus sententias adhibuit, crebrius autem Aeschines et Lycurgus in iis, quas malim publicas nominare quam iudiciales (Aeschinis *περὶ παραπρεσβείας* (2), *κατὰ Κτησιφῶντος* (3)). Itaque mihi praeceptum Plutarchi usui oratorum non impugnare videtur.

---

[1]) Itaque laudat eum Georgius his verbis (I p. 557 W): *πάρεστι ἐπαινεῖν κατ' ἀξίαν τὸν ῥήτορα κάλλιστα γνωματεύσαντα*, et venuste Plutarchus fabulatur de Demosthene *γνώμας* excogitante. Verba eius sunt (*Δημοσθένης* p. 849 c. 8)... *τάχιστα κατέβαινεν εἰς τὸ μελετητήριον, καὶ διεξῄει τάς τε πράξεις ἐφεξῆς καὶ τοὺς ὑπὲρ αὐτῶν ἀπολογισμούς. ἔτι δὲ τοὺς λόγους, οἷς παρέτυχε λεγομένοις, ἀναλαμβάνων εἰς ἑαυτὸν εἰς γνώμας ἀνῆγε καὶ περιόδους.*

Pauca addam de genere demonstrativo, quod perfecit Isocrates. In Panegyrico (4) 4, in Helena (4) 3, in Panathenaico (12) 5 sententiae exhibentur. 2 in Euagora (9); Busiris sententiis caret: quamquam has orationes, imprimis Panegyricum, ab Isocrate summa arte expolitas esse constat. Causam huius rei inde peto, quod Isocrates cum in omnibus orationibus, tum in demonstrativis ἦθος et πάθος, quod sententiis effici potest (cf. test. 80, 81), raro adhibuit. Etiam in demonstrativis reliquorum oratorum sententiae rarae sunt. In Olympiaco Lysiae (33) nullam collegi, 2 in Hyperidis oratione funebri (6). Epitaphius [2], qui inter Lysiae orationes traditus est, 2 habet, Epitaphius [60] et Eroticus [61], quos servavit corpus Demosthenicum, 3 et 6 praebent. Vides igitur oratores atticos raro in orationibus demonstrativis, saepius in iudicialibus, imprimis autem in publicis sententias usurpavisse. In epistulis γνώμας esse iam ex tabulis comperisti. De quibus hoc loco nihil addam.

Finita quaestione de generibus orationum transeamus ad singulas orationum partes, ut videamus, quatenus oratores in iis sententiis usi sint. In prooemiis oratorum atticorum, ut Fortunatianus postulat, sententiae non raro inveniuntur (test. 48, 49). Quod non mirum, quia in exordio, ut eos qui audiunt benevolos, attentos, dociles reddamus, vetus artis est praeceptum.[1] Benevolentia fruitur, quem iudices virum bonum esse putant, qui ἦθος scit adhibere in prooemio; hoc autem sententiis effici potest; quas in prooemiis oratorum his locis collegi: Ant. 1 β4 2 β1 2 β2 2 γ1 5,3 5,5 5,6 6,2 6,5 And. 3,2 [4,1] [4,6]. Lysias, quamquam e Dionysii testimonio concludendum est eum γνώμας in prooemio saepius usurpavisse (test. 57), his tamen paucis locis γνώμας posuit: 3,2 3,4 10,2 16,1 19,5 24,3. Apud Isocratem hos locos collegi: 7,5 7,11 7,14 8,7 8,8 8,10 9,7 10,5 10,6 15,4 15,18 ep. 6,6 ep. 9,6(2). Sed noli oblivisci prooemia Isocratis, quem usum amplexi sunt etiam Antiphon in oratione περὶ τοῦ Ἡρῴδου φόνου (5), Demosthenes in oratione περὶ στεφάνου (18), Lycurgus in oratione κατὰ Λεωκράτους latius extensa esse quam reliquorum oratorum, qui post brevem praefationem ad rem ipsam accedunt. Itaque in uno prooemio (cf. orat. 1, 7, 8, 15) 2 vel 3 sententias reperiri non mirum est. Ex Demosthenis scriptis hos locos collegi: 3,2 15,4 [17,1] [25,7] [26,3] [26,4] [42,4] 45,1 [52,1] [55,1] 57,1 ep. 1,1. Maiorem numerum sententiarum (23) conquisivi ex corpore prooemiorum, quae ipsius Demosthenis esse hodie nemo fere negat.[2] Apud Aeschinem duas sententias in

[1] Quint. IV, 1, 5. Cic. d. inv. I, 15, 20 etc. cf. Volkmann p. 90.
[2] cf. Blaß III, 1 p. 322 sq.

exordio repperi (1,2 2,3), singulas habet Lycurgi oratio (§ 6) et Dinarchi oratio *κατ' Ἀριστογείτονος* (2,3). Haec dicenda erant de prooemio.

Priusquam autem aggredior ad narrationem, perstringam, etiamsi ab hoc loco fortasse alienum videtur, praeceptum Anaximenis de praeoccupatione (test. 75), quod plerumque oratores in prooemio adhibent. Sententiae, quibus oratores usi sunt, ut indignationem civium deleniant, sunt: Ant. 2 *β*2 5,5 Dem. *KA*4. Praeterea fortasse utile est hos locos commemorare: *KΓ KH*1 *AH*3, quibus, si non aperte, at tecte tamen orator praeoccupationem adhibet. In ipso orationum corpore sententiae, quae praemonitionis vim habent, hae leguntur: Aesch. 1,180 Lyc. 128. Apparet igitur praeceptum Anaximenis ab usu oratorum Atticorum non discrepare.

Venimus ad narrationem. Iterum probant oratores praecepta rhetorum (test. 50—52). Hae enim sententiae in narratione extant: Ant. 6,25 And. [4,12] [4,24] [4,32] Lys. [6,31] 16,19 25,23 32,21 Isocr. 15,128 18,9 ep. 4,9 Dem. 2,20 4,24 8,66 10,69 18,47 18,205 18,308 19,208 19,258 21,205 23,148 [25,46] [25,49] [26,10] 37,43 [42,22] 54,38 55,1 [58,29] [59,56] [60,17] Aesch. 1,98 2,166 3,78 3,88 3,173 Lyc. 96 Hyp. 5,2. Attamen ut in hac parte modum orator imponat usui sententiarum, vel ipsa natura narrationis postulat. Itaque consentaneum est oratores sententiis in media narratione moderate usos esse, plerumque in exitu vel initio eas collocavisse.

Molem sententiarum autem confirmatio exhibet, cui etiam rhetores gnomologiam convenire iudicant. Nam sine dubio sententiae ad argumentationem aptissimae sunt, propterea quod eis verba oratoris confirmantur, qui, quae auctoritatem apud cives habent, in universum ea pronuntiet (test. 52, 53, 79). Itaque confirmatio, quod ad usum sententiarum attinet, primum locum obtinet.

De epilogo desunt testimonia rhetorum ad sententias pertinentia; quod casui tribuendum esse oratorum usu probatur. Nam si consideras, quid epilogo efficere velit orator, sententias ad eum quadrare intelleges. Compositus est epilogus, ut docet Aristoteles (rhet. p. 1419 b 10 sq.), ex quattuor partibus: *ἔκ τ. τοῦ πρὸς ἑαυτὸν κατασκευάσαι εὖ τὸν ἀκροατὴν καὶ τὸν ἐναντίον φαύλως, καὶ ἐκ τοῦ αὐξῆσαι καὶ ταπεινῶσαι, καὶ ἐκ τοῦ εἰς τὰ πάθη τὸν ἀκροατὴν καταστῆναι καὶ ἐξ ἀναμνήσεως.* Alii primam partem omittunt[1]) vel etiam amplificatione et commiseratione coniunctis bipertitum tantummodo epilogum statuerunt.[2]) Illa vero

[1]) cf. Corn. II, 30, 47; Cic. d. inv. I, 52, 98; Aps. 12, p. 384.
[2]) part. orat. 15, 52 Cic.

Aristotelis verba *ἔκ τε τοῦ πρὸς ἑαυτὸν κατασκευάσαι εὖ τὸν ἀκροατὴν ἦθος* exigunt, ut amplificatio et commiseratio *πάθος*. Itaque *γνώμας* ad epilogum aptas esse perspicuum est, nec mirum, quod sat amplum illarum numerum ex orationibus collegi: Ant. 1 δ12 5.91 Lys. [2,77] [2,78] Is. 10,22 Isocr. 6,90 6,91 6,101/2 6.104 6,109 6,111 Dem. 18,308 18,321 20,135 20,140 20,151 20.154 20,161 20,162 21.161 21,177 21,183 21.205 21.207 21.220 Aesch. 1,179 1,180 1,189 2,149 2,159 2,161 2,164 2.166 2,181 3.233 3,248 Hyp. 2,14 2,20. Sed noli mirari numerum sententiarum, quas attuli. Omnes quidem sunt in epilogo, sed semper fere in eo, qui cum argumentatione connexus ab oratoribus supra modum prolatus est. In eo autem, qui paucis verbis orationem claudit, raro sententias invenies. Ut summam faciam, oratores attici sententiis in exordio, narratione, epilogo moderate, in argumentatione prolixius usi sunt.

Ultima dissertationis huius pars erit de sententiarum collocatione ita, ut quaeratur, num cum orationibus traditis conspirent, quae de sede sententiae in singulis orationis partibus adsignanda rhetores praeceperunt. Prooemium, quod a sententia incipit, colorem antiquum habere Demosthenis scholiasta docet (test. 56). Antiphon solum 2 β1 et 2 γ1 initio prooemii *γνώμην* collocavit, 2 β2 autem in exitu huius partis. Andocides neque initio neque in exitu exordii sententias posuit. Lysiam prooemium acutis sententiis claudere solere Dionysius observavit (test. 57). Nec vero coniungunt sententiae 3,4 et 24,3, ut rhetor de Lysia dicit prooemium cum ea parte orationis, quam *πρόθεσιν* Graeci vocabant sed prior (3.4) prooemium cum narratione connectit, altera (24,3) prooemium cum confirmatione. In his Dionysii verbis se Isocratem audire Sauppius professus est.[1]) Sed cum apud hunc oratorem ne una quidem sententia prooemium claudat, eum horum verborum auctorem non esse iudico.[2]) Aliter res se habet in Demosthenis orationibus. Collocat enim sententias 3,2 15,4 [42,4] Θ_2 *IΓ IH KE* M_3 in exitu prooemii; nec vero veretur, quod scholiasta vituperaverat (test. 56), sententiam initio quoque ponere, ut [52,1] [55,1] *ΛA* ep. I, 1. Apud reliquos oratores neque exordii initio neque in exitu sententias inveni.

Venio ad narrationem; cuius partis initio his locis sententiae inveniuntur: Dem. 19,208 19, 258 25,46 25,49 [26,10] 55,1. Etiam in exitu narrationis oratores dissentientes a Theone (test. 62) interdum sententias extulerunt: Ant. 6,25 And. [4,12] [4,32]

---

[1]) B.—S. p. 224.
[2]) Sheehan de fide artis rhetoricae Isocrati tributae, Bonn 1901.

Lys. [6,32] 25,23 Isocr. 15,128 ep. 4,9 Dem. 2,20 4,24 18,47 18,205 37,43 [42,22] Aesch. 2,166 Hyp. 5,2.

Sequitur confirmatio. Atque quae rhetor de probatione praecipit (test. 64), quamquam in universum cum oratoribus consentiunt, tamen vel ea de causa ab his discrepant, quod rhetores non secundum certam quandam normam, sed, prout res et causa ferebat, ea adhibuerunt; neque magis Anaximenis praeceptum de sententiis cum testimoniis aut probabili coniungendis ad oratorum usum quadrat (test. 65). Unum locum apud Lysiam (19,53) repperi, ubi orator *γνώμην* in fine probabilium et testimoniorum collocavit Contra exempla oratores saepe sententiis clauserunt, ut iam scholiasta apud Demosthenem observavit, qui Demosthenem, cum in Olynthiaca prima (1,5) exempla explicaverit, verba sua quasi sententia signavisse dicit (test. 66). Exempli gratia afferam Dem. 20,162, ubi orator, postquam per exempla exposuit, quantas fortunae commutationes Lacedaemonii, Syracusani, Dionysius, passi sint, hanc sententiam profert: *ἀλλ' οἶμαι τὸ μέλλον ἅδηλον πᾶσιν ἀνθρώποις, καὶ μικροὶ καιροὶ μεγάλων πραγμάτων αἴτιοι γίγνονται. διὸ δεῖ μετριάζειν ἐν ταῖς εὐπραξίαις καὶ προορωμένους τὸ μέλλον φαίνεσθαι.* Eadem sententiarum sedes in exemplis invenitur his locis: Ant. 5,71 And. 3,32 Isocr. 6,44 6,102 6,104 Dem. 1,5 9,69 [13,25] [15,10] 18,97 19,267 19,296 21,177 21,183 22,16 23,114 23,122 23,127 Aesch. 1,179 2,164 Hyp. 3,37 Din. 1,74. Neque exemplorum in fine tantummodo oratores sententias collocabant, sed sunt etiam nonnullae sententiae, a quibus incipiunt exempla: Isocr. 4,139 6,44 7,5 7,11 8,103 8,106 Dem. 3,21 8,73 9,55 10,7 15,28 18,48 18,97 20,161 23,191 [25,22] Lyc. 128 Din. 174.

Ad probationem *κεφάλαια τελικά* spectant. Observavi autem ea, quae Anaximenes de sententiis et de iusto, legitimo, aliis docet, non plane oratoribus probata fuisse (test. 64); nam nisi Demosthenem oratorem neminem novi, qui partes capitum finalium per sententias clauderet; et ne huic quidem iste adornationis modus usitatus est, sed interdum vel raro probatur. 16,6 sq. explicat iniustum atque inutile esse Megalopolitanos Lacedaemoniis tradere, quam argumentationem sequitur sententia (10): *δεῖ δὲ σκοπεῖν μὲν καὶ πράττειν ἀεὶ τὰ δίκαια, συμπαρατηρεῖν δ' ὅπως ἅμα καὶ συμφέροντ' ἔσται ταῦτα.* Praeterea usurpat orator in exitu partis eius, quae tractat *συμφέρον*, sententias 8,51 et 10,27.

Probatione denique maxime aptum epichirema; veram autem sententiam illam Quintilianeam esse, de qua fusius supra (p. 32) disputavi, oratorum usus evicit, quippe qui neque in fine epichirematis neque initio sententias ponere solerent.

Addo observationes quasdam ad orationum genera laudationis

duo et accusationis (test. 67). Atque doctrina laudationis Anaximenea in universum ab oratorum usu discrepat. Praeceptum vero de sententiis, quas singulis laudationis capitibus subiciendas esse dicit, ne uno quidem exemplo ex oratoribus petito confirmare possum: quod non mirum, cum omnino in laudationibus Atticorum sententiae rarissimae sint.

In iis quoque, quae Anaximenes de accusatione dicit (test. 68), oratores dissentiunt. Multae quidem sententiae in accusationibus inveniuntur, non vero, ut vult Anaximenes, post testimonia et ea, quae sequuntur ex quaestionibus, collocatae sunt (cf. p. 36).

Et quoniam comparatis inter se rhetorum praeceptis et oratorum usu invenimus non leves nec raras discrepantias illis intercedere, relinquitur, ut ipsum illum usum explanemus breviterque illustremus. Testimonia commentati vidimus (p. 36) rhetores iussisse sententias non solum in fine vel aliis locis singularum dispositionis partium, sed omnino in clausulis esse collocandas ita, ut confirment et quasi signent verba, quae antecedunt. Quod apud Demosthenem iam Blassius observavit. Dicit enim ille vir doctus: Die Gnome folgt bei ihm meistenteils der Einzelbemerkung und wird an dieser verständlich und zugänglich.[1]) Eodem modo reliqui oratores sententiis usi sunt. Omnia enim, quae demonstrant, quae refellunt, quae reprehendunt, laudant, sententiis confirmare et comprobare solent. Paucis exemplis rem illustrabo. Dem. 3, 52 cum Athenienses vituperaverit, quod rem publicam non populus ipse regeret, sed pauci, qui illum devincirent et humiliter sentirent de re publica, hac sententia argumentationem terminat: *ἔστι δ' οὐδέποτ', οἶμαι, μέγα καὶ νεανικὸν φρόνημα λαβεῖν μικρὰ καὶ φαῦλα πράττοντας· ὁποῖ' ἄττα γὰρ ἂν τἀπιτηδεύματα τῶν ἀνθρώπων ᾖ, τοιοῦτον ἀνάγκη καὶ τὸ φρόνημ' ἔχειν.* Saepius autem orator, quod exposuit, per sententiam comprehendit. 20, 18 enim Isocrates demonstrat utile esse populo et iudicibus Lochitam damnare. Haec verba complectitur sententia: *ἔστι δὲ δικαστῶν νοῦν ἐχόντων περὶ τῶν ἀλλοτρίων τὰ δίκαια ψηφιζομένους ἅμα καὶ τὰ σφέτερ' αὐτῶν εὖ τίθεσθαι.*[2]) Conferas praeterea: Ant. 1 δ 12 5, 19 5, 73 And. [4, 6] Lys. [6, 32] Isocr. 5, 118 5, 139 6, 39 6, 51 6, 111 7, 28 8, 60 8, 120 9, 7 15, 239 20, 18 ep. 2, 21 ep. 4, 9 Dem. 1, 20 3, 32 6, 27 8, 72 13, 17 15, 18 15, 21 18, 205 18, 247 18, 269 19, 71 19, 340 20, 17 20, 135 21, 46 21, 57 22, 64 [26, 18] 51, 12 [60, 14] [61, 35] Aesch. 1, 48 1, 189 3, 16 3, 147 Lyc. 6. Secat igitur

[1]) III 1 p. 301 Blass.

[2]) Hoc modo etiam Euripidem sententias usurpavisse Hofingerus ostendit (1 p. 18 sq.).

γνώμη orationem in duas vel complures partes (interdum enim brevi spatio intermisso duae vel tres sententiae deprehenduntur), ita, ut perspicuam reddat et manifestam argumentationem. Singulae autem partes, quas sententiae claudunt, diversi ambitus sunt, nec desunt ampliores, saepe autem *γνώμη* terminat partem, quae constat ex uno vel duabus enuntiatis. Ut verba mea illustrem, afferam nonnulla exempla. 3, 17 sq. Demosthenes cives monet, ut malint, quid utile sit, deliberare, quam semper iucundum cupere. Sequitur sententia: *εὔξασθαι μὲν ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι ῥᾴδιον, εἰς ταὐτὸ πάνθ' ὅσα βούλεταί τις ἀθροίσαντ' ἐν ὀλίγῳ· ἑλέσθαι δ', ὅταν περὶ πραγμάτων προτεθῇ σκοπεῖν, οὔκεθ' ὁμοίως εὔπορον, ἀλλὰ δεῖ τὰ βέλτιστ' ἀντὶ τῶν ἡδέων, ἂν μὴ συναμφότερ' ἐξῇ λαμβάνειν.* Hac sententia prolata ad *θεωρικῶν* tractationem transit. Utile est cognoscere etiam Lys. 31, 10 11, quod exemplum totum afferam: *ὅσοι μὲν τοίνυν διὰ συμφορᾶς ἰδίας οὐ μετέσχον τῶν τότε γενομένων τῇ πόλει κινδύνων, συγγνώμης τινὸς ἄξιοί εἰσι τυχεῖν· οὐδενὶ γὰρ οὐδὲν ἐκούσιον δυστύχημα γίγνεται· ὅσοι δὲ γνώμῃ τοῦτο ἔπραξαν, οὐδεμιᾶς συγγνώμης ἄξιοί εἰσιν·* Bipertita haec sententia nullo vinculo cum eis, quae sequuntur, coniuncta est; duas igitur partes discindit. Saepe autem sententia inter duas orationis partes medium locum ita tenet, ut, cum alteram ab altera secernit, simul alteram cum altera coniungat. Quod ubi fit, orator a sententia profectus ea, quae in priore tractavit, in altera parte diligentius persequitur. Isocrates 7, 12 sq. ostendit Athenienses nihil prospere agere, propterea quod res publica non bene constituta sit; quod per hanc sententiam confirmat (14): *ἔστι γὰρ ψυχὴ πόλεως οὐδὲν ἕτερον ἢ πολιτεία, τοσαύτην ἔχουσα δύναμιν, ὅσην περ ἐν σώματι φρόνησις. αὕτη γάρ ἐστιν ἡ βουλευομένη περὶ ἁπάντων, καὶ τὰ μὲν ἀγαθὰ διαφυλάττουσα, τὰς δὲ συμφορὰς διαφεύγουσα.* Ab hac orsus denuo explicat Athenienses, cum sublata sit disciplina rei publicae, in iniquo statu esse. Demosthenes 2, 11 sq. exponit, quid facere Athenienses opus sit, eosque adhortatur, ut prospiciant, ne verba sola legati ostendere possint Athenienses, sed etiam facta amare. Quae verba ut affirmet, adicit sententiam: *ὡς ἅπας μὲν λόγος, ἂν ἀπόντ' ἔργ' ἔχῃ, μάταιόν τι φαίνεται καὶ κενόν, μάλιστα δ' ὁ παρὰ τῆς ἡμετέρας πόλεως· ὅσῳ γὰρ ἑτοιμότατ' αὐτῷ δοκοῦμεν χρῆσθαι, τοσούτῳ μᾶλλον ἀπιστοῦσι πάντες αὐτῷ.* Deinde quid faciendum sit Atheniensibus, explicat. Eiusmodi sententiarum usum exemplorum apud oratores ingenti numero illustrari licet[1]): Ant. 1 *β* 4 1 *δ* 9 5,3 5,5 5,6 5,14 5,71 5,72 5,79 5,91 6,2 6,5 And.

[1]) Eodem modo Euripidem sententiis usum esse Hofingerus docuit p. 4 sq.

1,30 2,5/6 3,2 [4,1] [4,12] [4,19] [4,32] Lys. [2,77] [2,78] 3,2 [6,6] [6,15] [6,31] 7,39 10,2 14,4 16,1 16,19 19,5 19,30 19,53 20,12 20,32 24,10 31,10 31,11 31,24 32,21 Is. 3,66 10,22 Isocr. 4,78 4,130 4,160 5,35 5,37 6,50 6,59 6,90, 6,91 6,104 7,4/5 7,11 7,14 7,40 7,78 8,7 8,8 8,32 8,35 8,58 8,103 8,106 8,114 10,5 10,6 10,47 12,138 12,185 12,187 12,223 12,244 13,14 15,132 15,179 15,255 15,278 15,311 16,39 21,6 21,17 ep. 3/4 6,6 8,5 Dem. 1,5 1,11 1,20 1,23 2,12 2,14 2,20 2,22 2,23 2,26 2,27 3,15 3,18 3,19 3,21 4,5 4,6 4,10 4,14 4,24 4,49 6,21 6,25 6,34 [7,26] 8,61 8,66 9,16 9,17, 9,53 9,55 9,69, 9,73 10,7 10,40 10,42 10,63 10,69 [11,15] [13,16] 14,8 14,30 14,33 15,20 15,28 [17,1] [17,13] 18,47 18,48 18,95 18,97 18,159 18,189 18,192 18,192 18,198 18,242 18,252 18,256 18,277 18,280 18,292 18,321 19,6 19,81 19,151 19,172 19,184 19,201 19,208 19,215 19,239 19,296 19,313 20,39 20,46 20,56 20,108 20,126 20,140 20,151 20,161 21,34 21,66 21,67 21,69 21,70 21,98 21,118 21,161 21,205 21,207 21,220 22,51 22,62 23,50 23,101 23,127 23,134 23,197 24,163 24,205 24,210 [25,7] [25,22] [25,24] [25,32] [25,33] [25,39] [25,46] [25,66] [25,81] [25,93] [26,3] [26,4] [26,10] [26,19] [26,20] [26,26] 31,12 36,44 36,52 37,56 38,26 [41,23] 45,1 54,38 57,34 57,36 57,45 [58,23] [58,29] [58,59] [58,61] [59,56] [60,17] [60,37] [61,7] [61,23] [61,39] [61,42] *β E*3 *H*2 *KA*4 *KB*2 *KΓ KE*2 *KH*1 *ΛΓ*3 *ΛH*1 *ΛH*3 *ΛΘ*2 *MΓ*2 *ME*3 *MΘ*1 *N*1 *N*2 *NA* ep. I 5 I 7 I 12 II 15 II 20 III 14 III 44 III 45 Aesch. 1,2 1,22 1,84 1,98 1,129 1,180 2,3 2,112 2,120 2,149 2,159 2,161 2,181 3,88 3,170 3,173 3,174 3,228 3,233 3,248 Lyc. 46 49 92 94 96 128 133 Hyp. 2,14 3,31 4 col. d. 5 6,25 6,41 frg. 48 248 Din. 2,3 3,6. In numero harum sententiarum et eas libenter duxerim, quae *παρενθετικῶς* stant. Sunt autem hae: Ant. 1,57 3,29 Isocr. 8,10 Dem. 10,6 16,30 18,308 23,124 [26,20] 39,14 57,1 ep. II 20.

Sed quaerat quispiam: Quid? sententiam dicis apud oratores atticos semper in fine, numquam positam esse initio explicationis, ut apud Euripidem?[1]) Etiam hanc rem breviter exponam. Attuli iam nonnulla praecepta (test. 56, 60, 61), ex quibus apparet initio apud antiquos *γνώμην* inusitatam non fuisse, nec deesse sententias, quae initio prooemii, narrationis, exempli (p. 48 sq.) leguntur. Praeterea supra commemoravi (p. 51) multas esse sententias, a quibus, cum verba oratoris confirmavissent, denuo oriatur disputatio. At his locis exceptis raro sententias initio

[1]) cf. I p. 12 sq. Hof.

invenis: Isocr. 5,113 6,34 8,129 15,14 15,18 15,79 15,189 15,217 Dem. 3,14 16,24 18,227 19,300 25,15 Aesch. 1,24 Lyc. 60 79.[1])

Itaque sententiarum longe maximus numerus in clausulis singularum partium vel argumentationum invenitur.

---

[1]) Inde quibus particulis eae cum enuntiatis, quae antecedunt, connexae sint, patet. Particulam *γάρ* oratores, ut confirment. quae antecedunt. creberrime adhibuerunt. Pro particula *γάρ* usurpatum est interdum *ὡς* vel *ὅτι*. Raro oratores particula *οὕτως* usi sint, ut comprehendant, quae exposuerunt, velut *καίτοι, ἀλλά, δέ,* ut refellant. Interdum si quid colligere vult orator ex iis, quae explicavit, particulae *ὥστε, διόπερ, τοίννν, οὖν* inveniuntur. Nonnullis denique locis *γνώμη* sine particula prolata est, ut Dem. 18.242. Alio modo sententia cum enuntiato, quod sequitur, coniuncta est. In enuntiato sententiam sequente orator sua causa illustrat id, quod generatim in sententia pronuntiavit. Itaque pronomina demonstrativa vel relativa, ut *ταῦτ' οὖν, καὶ τοῦτ', ὧν ἕνεκα* vel particulae *γάρ, οὖν, τοίννν, ὥστε* usui sunt; denique ubi de persona in sententia agitur, transitiones, velut *ἃ τούτῳ, ὧν εἷς ἐγώ* etc. apparent.

Index sententiarum.

Antiphon:

τετραλογίαι 1 β 4 1 δ 9 1 δ 12 2 β 1 2 β 2 2 γ 1.[1])
π. τ. Ἡρῴδου φόνου 5,3 5,5[2]) 5,6 5,14[3]) 5,19 5,71 5,72 5,73 5,79 5,91.
π. τ. χορεύτου 6,2 6,5 6,25 frg. 36.

Andocides:

π. τ. μυστηρίων 1,30 1,57.
π. τ. ἑαυτοῦ καθόδου 2,5/6.
π. τ. Λακεδ. εἰρήνης 3,2 3,29 3,32.
[*κατ' Ἀλκιβιάδου*] 4,1 4,6 4,12 4,19 4,24 4,32.

Lysias:

[*ἐπιτάφιος*] 2,77 2,78.
π. Σίμωνα 3,2 3,4.
[*κ. Ἀνδοκίδου*] 6,6[4]) 6,15 6,31 6,32.[4])
π. τ. σηκοῦ 7,39.
κ. Θεομνήστου 10,2.
κ. Ἀλκιβιάδου Α. 14,4.
ὑπ. Μαντιθέου 16,1 16,19.
ὑπ. τ. Ἀριστοφ. χρημάτων 19,5 19,30 19,53.
ὑπ. Πολυστράτου 20,12 20,32.
ὑπ. τ. ἀδυνάτου 24,3 24,10 24,16/18.
[*Δημ. καταλ.*] *ἀπολογία* 25,23.
κ. Φίλωνος 31,10 31,11 31,24.[5])
κ. Διογείτονος 32,21
frg. 143, 266, 267, 271, 280.

---

[1]) verba *αὐτὴ γὰρ ἡ ἡλικία τῶν νέων κατέκρινε* (3 δ 2) non *γνώμη* sunt, propterea quod *ἄν* supplendum est.

[2]) Optimo iure Hug 5,5 *ἁμάρτημα* delevit, cf. Hug, de arte critica in orat. Ant. factitanda. Index lect. Tur. 1872 p. 26.

[3]) cf. 6,2.

[4]) Frustra nisus, quem sensum habeat dictum 6,3 eruere, optimum esse censui Thalheimium sequi, qui verba eidem grammatico deberi cui § 2 suspicatus est.

[5]) Servem hanc sententiam; ita se habet etiam *γνώμη* 20,32, ubi, quod *γνώμη* in universum dicit, id verbis, quae sequuntur, explicatur.

Isaeus:
π. τ. Πυῤῥου κλήρου 3,66.
π. τ. Ἀριστάρχου κλήρου 10,22
frg. 131, 132, 133.[1])

Isocrates:
Πανηγυρικός 4,78 4,130 4,139 4,160.
Φίλιππος 5,35 5,37 5,113 5,118 5,139.
Ἀρχίδαμος 6,34 6,39 6,44 6,45 6,49/50 6,51 6,59 6,90 6,91 6,101/2 6,104 6,109 6,111.
Ἀρεοπαγιτικός 7,5 7,11 7,14 7,28 7,40/41 7,78.
π. εἰρήνης 8,7 8,8 8,10 8,32 8,35 8,39 8,58 8,60 8,103 8,106 8,114 8,120 8,129.
Εὐαγόρας 9,7 9,40.
Ἑλένη 10,5 10,6 10,47.
Παναθηναικός 12,138 12,185 12,187 12,223 12,244.
κ. τ. σοφιστῶν 13,14/15.
Πλαταικός 14,25.
π. Ἀντιδόσεως 15,14 15,18 15,79 15,128 15,132 15,179 15,189 15,217 15,239 15,255 15,278 15,290 15,311.
π. τ. ζεύγους 16,39.
π. Καλλίμαχον 18,9.
κ. Λοχίτου 20,7 20,18.
π. Εὐθύνουν 21,6 21,17.
ep. 2,21 2,21 3,4 4,9 6,6 8,5 9,6 9,6.

Demosthenes:
Ὀλυνθιακός α 1,5 1,11 1,20(2) 1,23.
Ὀλυνθιακός β 2,8 2,9/10[2]) 2,12[3]) 2,14 2,20 2,22[4]) 2,23 2,26 2,27.
Ὀλυνθιακός γ 3,2 3,14 3,15 3,18 3,19 3,21 3,32.[5])
κ. Φιλίππου α 4,5 4,6 4,10[6]) 4,14 4,24 4,49.
κ. Φιλίππου β 6,21 6,25 6,27 6,34.[7])
[*π. Ἁλοννήσου*] 7,26.
π. τ. ἐν Χερρονήσῳ 8,51 8,61[8]) 8,66[9]) 8,72 8,73.
κ. Φιλίππου γ 9,16 9,17 9,53 9,55 9,69 9,73.
κ. Φιλίππου δ 10,6 10,7 10,27 10,40 10,42 10,63 10,69.

---

[1]) locum 2,8, qui *γνώμην* continet, Sauppius delevit, B.-S. Or. Att. p. 333.
[2]) cf. [11,7].
[3]) cf. [11,23].
[4]) cf. [11,15].
[5]) cf. [13,25].
[6]) cf. 8,51.
[7]) cf. *Δ H*$_2$.
[8]) [10,63].
[9]) [10,69].

[*π. τ. ἐπιστολήν*] 11,15.
[*π. συντάξεως*] 13,16 13,17 13,25.
π. τῶν συμμοριῶν 14,8 14,9 14,30 14,33.
π. τῶν Ῥοδ. ἐλευθερίας 15,4 15,10 15,16 15,18 15,20 15,21 15,28.
ὑπ. Μεγαλοπολιτῶν 16,10 16,24 16,30.
[*π. τ. πρ. Ἀλεξ. συνθηκῶν*] 17,1 17,13.
π. τ. στεφ. 18,47 18,48 18,95 18,97 18,159 18,192 18,192 18,198 18,205 18,227 18,242 18,247 18,252 18,256 18,269 18,277 18,280/81 18,292 18,308 18,321.
π. τ. παραπρεσβείας 19,6 19,71 19,81 19,151 19,172 19,184 19,201 19,208 19,215 19,239 19,258 19,267 19,296 19,300 19,313 19,339 19,340.
π. Λεπτίνην 20,17 20,39 20,46 20,49/50 20,56 20,108 20,126 20,135 20,140 20,151 20,161 20,162.
κ. Μειδίου 21,34 21,46 21,57 21,66 21,67 21,69 21,70 21,98 21,118 21,161 21,177 21,183 21,205 21,207 21,220.
κ. Ἀνδροτίωνος 22,16 22,51 22,62 22,64.
κ. Ἀριστοκράτους 23,50 23,101 23,113 23,114 23,122 23,124 23,127 23,134 23,148 23,191 23,197.
κ. Τιμοκράτους 24,163 24,205 24,210.
[*κ. Ἀριστογείτονος*] 25,7 25,15 25,21/22 25,24 25,32 25,33 25,39 25,46 25,49 25,66 25,81 25,93.
[*κ. Ἀριστογείτονος β*] 26,3 26,4 26,10 26,18 26,19 26,20 26,26.
π. Ὀνήτορα β 31,12.
ὑπ. Φορμίωνος 36,44 36,44 36,52.
π. Πανταίνετον 37,43 37,56.
π. Ναυσίμαχον 38,26.
π. Βοίωτον 39,14.
[*π. Σπουδαίαν*] 41,23.
[*π. Φαίνιππον*] 42,4 42,22.
κ. Στεφάνου 45,1.
π. τ. στεφάνου 51,12.
[*π. Κάλλιπον*] 52,1.
κ. Κόνωνος 54,38.
[*π. Καλλικλέα*] 55,1.
π. Εὐβουλίδην 57,1 57,34 57,36 57,45.
[*κ. Θεοκρίνου*] 58,23 58,29 58,59 58,61.
[*κ. Νεαίρας*] 59,56.
[*ἐπιτάφιος*] 60,14 60,17 60,37.
[*ἐρωτικός*] 61,7 61,23 61,35 61,39 61,42 61,52/53.
προοίμια β Ε3 Η2 Θ2 ΙΓ ΙΗ ΚΑ4 ΚΒ2 ΚΓ ΚΕ2 ΚΗ1 ΛΑ1 ΛΓ3 ΛΗ1 ΛΗ3 ΛΘ2 Μ3 ΜΓ2 ΜΕ3 ΜΘ1 Ν1 Ν2 ΝΑ

ep. I,1 I,5 I,7 I,12 II,15 II,20 III,14 III,44 III,45 V,5
frg. 12, 18, 34, 35, 36, 37, 38, 39, 40, 41, 42,[1]) 46, 47, 48.

Pytheas frg. 10.

Aeschines:

κ. *Τιμάρχου* 1,2 1,22 1,24 1,48 1,84 1,98 1,129 1,179 1,180 1,189.
π. τ. *παραπρεσβείας* 2,3 2,112 2,120 2,149 2,159 2,161 2,164 2,166 2,181.
κ. *Κτησιφῶντος* 3,16 3,88 3,147 3,160 3,163 3,170 3,173 3,174 3,228 3,233 3,248.

Lycurgus:

6[2]) 46 49 60 79 92 94 96 128 133
frg. 96, 97, 98, 99, 100, 103.

Hyperides:

ὑπ. Λυκόφρονος 2,14 2,20.
ὑπ. Εὐξενίππου 3,31 3,37.
κ. *Φιλιππίδου* col. d 5.
κ. *Ἀθηνογένους* 5,2.[3])
ἐπιτάφιος 6,25 6,41
frg. 43, 48, 61, 138, 229, 235, 236, 237, 240, 240, 241, 245, 248.

Dinarchus:

κ. *Δημοσθένους* 1,74.
κ. *Ἀριστογείτονος* 2,3.
κ. *Φιλοκλέους* 3,6.
κ. *Μενεσαίχμου* B.-S. p. 339.

---

[1]) alii hanc sententiam Isocrati tribuerunt, cf. B S. p. 255.

[2]) verba *ἁπλοῦν τὸ δίκαιον, ῥᾴδιον τὸ ἀληθές, βραχὺς ὁ ἔλεγχος,* quae apud Lycurgum leguntur § 33, non *γνώμη* sunt, cf. Nicolai, Lyk. Rede gegen L. 2. Aufl. 1885 p. 32.

[3]) quod viri docti hoc loco coniecerunt, mihi non placet; fortasse orator scripsit: *ἀσέβε]ιαν* respiciens verba *ὀμνύουσα τοὺς μεγίστους ὅρκους κτλ.* (§ 1).

Typis expressit Robertus Noske Bornensis.

Vita.

Natus sum Hans Framm Wismariae a. 1886 ante diem XV Kalendas Martias patre Carolo, matre Carolina e gente Averhof. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum primordiis in Gymnasio Wismariensi imbutus sum. Vere anni 1905 maturitatis testimonium adeptus per duo semestria in academia Gottingensi litteris me dedidi. Deinde studiis imprimis philologicis Argentorati incubui. Ibi per annum sodalis fui seminarii philologici, cui Keil et Reitzenstein praeerant. Ad exercitationes archaeologas admiserunt me Michaelis et Winter, ad historicas Neumann. Praeterea docuerunt me Leo, Schwartzius, Busolt, Baeumker. Quibus omnibus viris doctissimis quantum debeam, numquam obliviscar.